



GEFRAKT VON ALVEN
SCHLEVE VALTRESOHN



✓ 00 ab N. 142.

1) Hinnicus, Igid.

2) Farschius, H.

3) Ambovius, Seb.

4) Syricola, Chr.

5) Pozolius, Chr.

K. V. 60.






H. ZANCHII
DE SPIRITVA
LI INTER CHRISTVM
ET ECCLESIAM, SINGV-
LOSQVE FIDELIS,
connubio,
LIBER VNVS.

Ad
HORATIVM PALAVICINVM,
EQVITEM AVRATVM.



HERBORNÆ,
Excudebat Christophorus Coruinus.

M D XCI.



NOBILISSIMO VI-
RO HORATIO PALAVICI-
NO EQVITI AVRATO,

H. ZANCHIVS gratiam &
pacem precatur.

Melius est tardè, nobilissime ac gene-
rose Horati, (vt est in Prouerbio) quàm
nunquam: Et, Sat citò, si sat bene. Er-
go quod hanc meam publicam gratulationem, qua pri-
dem post vtramq; tuam feliciter obitã, apud Illustriss.
Principes nostros, legationem, tibi gratulari debe-
bam dignitatem istam, qua te serenissima tua Regina
ornauit, nimirũ vt sue Maiestatis eques esses auratus,
in hoc vsq; tempus distulerim: non fuero prorsus & sim-
pliciter reprehensione dignus. Neq; enim meus iste li-
bellus citius aut per amanuensem describi, aut per ty-
pographum in lucem, vt peroptabam, dari potuit. Ad-
de & multas animi molestias, & non pauca incõmoda,
qua mihi in hac extrema mea etate acciderũt, & sub-
inde accidunt, mea q; honesta studia piõsque conatus
haud parum retardant. Reipsa enim & experientia
totidie disco & sentio, illud esse verissimum, ποβẽ τὸ
πας: οὐ γὰρ ἐσχεταὶ μόνον. Quis autem vir bonus & æ-
sideo senem reprehendat, quòd non ita vt inuenis
ceuriter incedat? Quid verò, si cum senectute cecitas
etiam, tibi arum imbecillitas, & alii morbi coniungantur

): (ij

P R Æ F A T I O .

tur? Inter planetas Saturnū certè nullus arguit, quòd suum cursum tardiùs quàm alii, conficiat, cum pro suo quisq; naturali ordine & situ moueatur. Mea itaq; gratulatio, licet sera, non meritò tamē aut reprehendi à quopiam potest, aut tibi esse ingrata. Quid, quòd eo gratior & iucundior esse debet, quo tardior fuit, eoq; minus à te expectata: quippe quæ à tardigrado, frigidò-que, nec tamen prorsus adhuc omni ingenii calore destituto sene profecta est? Neq; enim ipsam tantummodò dignitatem, qualis in se, & quanta sit, considero: sed etiam, illudq; in primis, quisnam, & quas ob causas eam tibi contulerit, perpendo; totumq; hoc tibi gratulandum esse duxi, & ex animo gratulor. Auratum esse alicuius principis equitem, dignitas sanè magna est: esse autem Reginae, maior: talis verò Reginae, quæ nō minimum aut paruum est orbis Christiani ornamentū, longè maxima. Regina est ELISABETHA, ex Regibus nata, in regia, regiisq; moribus educata: in sincera & vera religione instituta: magna literarum eruditione, & linguarum cognitione, regis deniq; & heroicis virtutibus ornata: summa pietate, incredibili clementia, inuicta fortitudine, nec tenui in pios homines liberalitate: & (vt vno dicam verbo) Regina est Domino Iesu Christo charissima. Quid vis amplius? Amorem hunc in eam suum Christus multis magnisq; collatis beneficiis, & ad animū, & ad corpus, & ad res etiā externas pertinentibus, toti Christiano orbi perspicuum manifestūq; fecit: ita vt illa aut enumerare, aut explicare, apud te presertim, q; meliùs quàm ego omnia nosti, mihi

hi

P R Æ F A T I O.

hi non sit necesse. Vna certè vera pietatis Christianæ constans professio atq; defensio, & secundum illam vitæ institutio, nobis & pio cuiq; satis esse deberet. Hoc enim diuinum vera pietatis donum, certum est æternæ ac cōstantis Christi erga nos beneuolentiæ, testimonium. Quantum interim tamen illud est, obsecro, quòd Dominus Iesus illam è faucibus leana eripuit: ereptam serua- uit: seruatam Reginam fecit: per hanc Reginam factam, puram suam doctrinam, verumq; sui cultum restituit, populum feliciter rexit, in summa pace per multos annos circiter 32. in huc vsq; diem seruaui: callidas, innumerasq; diaboli aduersus eam eiusq; regnum insidias detexit depulitq;: atrocissimas inimicorum machinationes, & scelerata consilia dissipauit: maximas hostium vires fregit, eosq; profligauit: vicinos quoq; populos defendit, pios principes fouit, sustentauit, seruaui, sustentat & seruat?

Moses, quia à Deo dilectus erat, & ad populi Dei redemptionem magnaq; præstanda electus: idcirco cum omnes Hebræorum infantes masculi, ex tyrannico Regis mandato in Aegypto interficerentur, idq; non aliam ob causam, quam quia Hebræi erant, & vt totus tandem aliquando populus Dei extingueretur: ille mirabili Dei prouidentia per ipsas, alioquin à populo Dei alienas, obstetrices, in vita seruatur: ex aquis extrahitur, in filium à filia Regis adoptatur, in regali aula tanquam Regia proles educatur: heroicis vereq; diuinis virtutibus, potentia, sapientia, animi fortitudine, aliisq; innumeris donis ornatur atq; munitur: liberator & dux po-

): (ij

P R Æ F A T I O.

puli constituitur: mauult cum populo Dei affligi, quàm in deliciis regis cum impiis viuere. Liberat ergo populum, obsistit tyranno, eum in mari rubro cum toto exercitu submergit, alios, eosq; potētissimos, hostes interficit, Legem à Deo accipit, doctrinam cœlestem populo tradit, verum eius cultum renouat, idololatrias tollit, omnia repurgat, veram Dei inuocationem reuocat, & deniq; in rectam viam adeunda & consequenda promissæ patribus hereditatis, populum sibi concreditum inducit. Hæc per Mosén Deus. An non verò iis omnibus, quantus fuerit suus erga Mosén totumq; suum populum amor, luculenter declarauit? Ait autem Apostolus de iis, quæ in veteri Testamento acta & tradita fuerunt, Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiã & consolationem scripturarum, spem habeamus. Ego certè cum intueor in nostra tempora, ac præter alios in vestram Reginam oculos intendo meos: video non dissimilia contigisse atq; contingere: & qualis ista sit Dei ancilla, imò sponsa Christi, per quam tam multa & magna prestitit, & quotidie præstat Ecclesiæ suæ, non obscure intelligo. Parùmne igitur est, vir amplissime, talis Regine talem te factum esse famulum? Cum iis coniungo, quod sapientissima & prudentissima Regina tibi prestitit, hoc illam tibi non temerè prestitisse. Vidit enim, dignitatem istam nobilitati tuæ, virtuti tuæ, fidei ac diligentie tuæ in perficiendis suis negotiis meritò debitam fuisse, ita vt nō minùs tu dignitatem illam illustres, quàm illa te exornet: nec tu minus illa, quàm illa te dignus fueris.

P R Æ F A T I O.

fueris. Neq³ enim optima Regina te, ex ignobili, honore isto nobilem, sed ex nobili nobiliorem fecit: ac dum voluit noua te dignitate afficere, remunerauit merita tua. Atque hoc etiam totum tibi vt gratularer, nostra postulauit amicitia. Vidésne ergo, prudentissime Horati, gratulationem hanc meam, licet seram, tibi tamen ingrata esse nec debere, nec merito posse? Eò verò minus ingrata tibi esse debet, quòd eam haud nudam, sed vestitam, & veste quidem non ignobili indutam, ad te mitto.

Mitto enim cum ea Tractationem quandam meam, de spirituali inter Christum & Ecclesiam, singulosq³ fideles, connubio, paruo quidem libello comprehensam, re ipsa tamen, & per se, amplissimam & nobilissimam.

Hanc verò tuo nomini duplici potissimum de causa consecratam volo: quarum vna est, vt perpetuum aliquod in Ecclesia extet testimonium obseruantiae erga te meae, & vt vicissim tuus erga me meosq³ liberos, erga illum praesertim, quem in tuam fidem atque curam receptum, in istud amplissimum & nobilissimum Angliae Regnum tecum abduxisti, animus mei recordatione confirmetur. Altera, vt inter tot tantasq³ de Religione Christiana in hoc tēpore controuersias, summam à me quoque habeas salutis nostrae, qua te aduersus omnes hostes munire ac tueri possis.

Tota enim salus in hoc spirituali diuinoq³ connubio consistit. Nam sponsus Christus sponsam suam semper diligit, & caput est illius ac seruator perpetuus, nec

P R Æ F A T I O.

finit illam à se penitus deficere: Desponsabo te, inquit, mihi, per Prophetam, in sempiternum: Et, Rogavi pro te, Petre, inquit Christus, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ fides tua. Fide autem nunquam penitus excidente, quis pereat? Hac verò constanti fide verum cum Christo coniugium ita contrahitur, fouetur, custoditur, vt nunquam dissoluatur. Gratissimum mihi fuerit, si munusculum hoc meum gratulatorium re ipsa tibi non ingratum fuisse cognouero, ἵνα μὴ πάντῃ πασι αἱ χεῖρες γυμναῖ. Neq; enim desunt in mundo, qui inscriptiones quidem bonorum librorum amant, gratasq; habent, quòd inde ad sui nominis celebritatem ac gloriam non nihil splendoris accedere videant: sed res ipsas aut nihil, aut parum curant, aut se curare, neq; factis, neq; verbis declarant, vt nihil grauius dicam. Verùm de te, optime Horati, longè aliter vt sentiam & sperem, facit tua non tã vera & antiqua Nobilitas, auitaq; virtus, quàm tua singularis pietas, tuũq; eterna per Christum salutis consequenda studium. Lege ergo ac perlege. Vale, & me, vt facis, amare, meumq; filium T. Cornelium commendatũ tibi habere, quæ tua est in amando & benefaciendo constantia, perge. Neustadio Calend. Augusti, anno Christi 1590.

authoris verò LXXV.

mensibus 6.



H. ZANCHII

DE CONIVGIO SPI-
RITVALI INTER CHRI-
stum & Ecclesiam,
LIBER.

QUæ de origine Ecclesiæ, deque spi-
rituali illius cum filio Dei connu-
bio, in variis S. literarum locis tra-
duntur: ea ex prima humani generis crea-
tione, tanquam ex fonte mysteriorū Chri-
sti, deducit, explicat & confirmat Apосто-
lus in epistola ad Ephes. cap. 5. cū ait; *Virū
diligite uxores vestras, sicut & CHRISTVS Ec-
clesiam*, & quæ sequuntur. Narrat enim
Moses, quonam modo Eua ex Adamo
dormiente creata, & postmodum ei in ma-
trimonium tradita fuerit: & quòd ea con-
specta, Adamus dixerit: *Hoc nunc os ex ossibus
meis, & caro de carne mea*: generali ad extre-
mum propositione de hominum tum in-
ter se, tum etiam cum filio Dei in finem vs-
que mundi, connubio iis verbis prolata:
Propter hoc relinquet homo patrem suum, & ma-

A

trem suam, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una. Quae verba sic intellexit Apostolus, ut ea de Christo quoque & Ecclesia interpretatus sit, hunc in modum: *Mysterium hoc magnum est: Ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.* Nos enim esse carnem de carne Christi, & ossa ex ossibus eius, quemadmodum & de Eva dixerat Adamus.

Mihi igitur dicturo de spirituali diuinoque inter Christum & Ecclesiam, singulosque fideles connubio, examinandus in primis est locus ille Mosis de creatione Euae, deque prima carnalis coniugii institutione: & quantum singula cum spirituali congruant, diligenter videndum. Nam & creatio Euae ex costa Adae dormientis eductae, & coniugium illud carnale inter Adamum & Euam contractum, manifestus fuit tum spiritualis creationis Ecclesiae à latere Christi, in cruce mortui, educendae, tum coniugii inter Christum & Ecclesiam contrahendi, typus. Deinde tota de humano coniugio doctrina, in certa capita breui & perspicua methodo distribuenda fuerit, ut inde porro quid de diuino quoque inter Christum & Ecclesiam coniugio sentiendum sit, facilius quisque intelligat. Postremo itaque doctrina de spirituali coniugio ad capita doctrinae de carnali examinata, explicanda &

con-

CHRISTI ET ECCLESIAE.

confirmanda fuerit. Omnia autem certis
Thesibus iisque breuibus, quò & faciliùs
intelligi, & in memoria recondi, à lectori-
bus possit, proponam.

CAPVT PRIMVM.

*Summa historia de creatione Euae, & matrimoni-
inter ipsam & Adamum contracti: & quo mo-
do, quae de primo connubio scripsit Moses, ea
cum altero, de quo fusiùs Apostoli, congruant.*

AD primum quod attinet, hoc pro fun-
damèto retinèdū est, quod tradit Apo-
stolus Rom. 5. & 1. Cor. 15. nempe Adamum
primum, & Adamum secundū, id est Chri-
stum, considerandos nobis esse in hoc ne-
gotio coniugali, non vt priuatas personas,
sed vt duo prima principia, ex quorum v-
no, prodiit, & prodit totum humanum ge-
nus: ex altero, nata est, & nascitur Ecclesia:
Et quidem primum hominem, typum & fi-
guram fuisse alterius, id est Christi. Quare
quae cum Adamo acta fuerunt ante pecca-
tum, ea non tam *ισοεικώς*, quàm *μυσικώς* con-
sideranda nobis sunt. Historiam igitur il-
lam de Eua ex Adamo dormiente creata,
deque eadem ad Adamum vigilantem, vt
eam duceret in matrimonium, perducta, in
tres particulas resoluo: quarum prima est,

4 DE SPIRIT. CONIVGIO

de consilio Dei, cur & Adamum noluerit esse solum, & cur ex eo, adeoq; ex eius costa, creavit Euam, & denique cur hanc illi dederit in matrimonium.

Secunda est, de creatione ipsius Euæ, deque tali eam creandi ratione.

Tertia, de adductione Euæ ad Adamum, deque horum coniugio.

I. Ad primam particulam quod attinet, contextus Mosis sic habet:

Dixerat autem I E H O V A E L O H I M, Non est bonum, hominem esse solum: faciamus (igitur) ei adiutorium, quod sit coram eo: id est, quod sit omnino ei simile, ei que semper ad obsequendum præstò.

T H E S I S

I.

CAUS A igitur cur noluerit Deus Adamum esse solum, fuit, quia hoc non erat bonum.

II. Non bonum, id est, non honestum per se aut æquum, vt scilicet qui debebat caput esse humani generis, is solus homo inter omnia animantia, & in mundo viveret.

III. Neq; fuit bonum, id est delectabile ipsi Adamo, vt solitariam in amplissimo hoc

CHRISTI ET ECCLESIAE. 5

hoc mundo degeret vitam.

IV. Neque etiam fuit bonum, id est, utile vel ipsi Adamo, vel toti posteritati: quam certè Deus potuisset sine opera viri & feminae procreare: sed qualis inde amor & animorum inter homines coniunctio?

V. Denique hoc non fuit bonum, quia consilium Dei erat, vt ex semine Adæ primi hominis, conciperetur & nasceretur secundus Adamus, Iesus Christus.

Meritò igitur fecit illi adiutorium, simile ei, & quod perpetuò illi esset subiectum, & ad omnia honesta opera, atq; obsequia promptissimum.

VI. Quamobrem verò non creauerit E-uam alia ratione, quàm ex Adamo ipso, a-
deoq; ex eius costa: caussa exprimitur ab A-
postolo in Act. 17. vt scilicet omnes homi-
nes ex vno essent (per propagationem)
principio, tanquam membra ex vno capi-
te, & ita totum humanum genus esset ceu
vnum corpus, eiusdemque naturæ: Fecit
ex vno (inquit Apostolus) totum genus hu-
manum habitare super vniuersam faciem
terræ.

VII. Ex costa porrò illam formauit, vt
præter alias caussas eam magis amaret, tan-
quam carnem suam, id quod expressit A-
damus, cum dixit, Hoc nunc os est ex ossi-

bus meis, & caro de carne mea. Hinc Apostolus argumentum ad amandum uxores duxit, quia scilicet sunt caro nostra.

viii. Non debet autem viro dominari uxor, ideo non est sumpta ex capite: nec etiam pedibus conculcari, ideo ex pedibus non est creata: sed debet amari ex corde, ideo de costa cordi vicina sumpta est.

ix. Cæterum cur eam dederit Adamo in matrimonium, causam subiūgit Moses, ut nimirum esset illi adiutorium.

x. Adiutorium, inquam, primò ad vitam honestè, piè & suauiter transigendam.

xi. Adiutorium item, ad procreandam sobolem, hominesque multiplicandos super terram.

xii. Adiutorium deniq; ad implendum Dei decretum de Ecclesia creanda, deq; ex capite Ecclesiæ Christo inde procreando: ac proinde ad regnum Dei constituendum, propagandum, ampliandum.

Hæc de prima particula, qua consilium Dei explicatur, cur & Adamum solum esse noluerit, & cur Euam ex eo, a deo que ex eius costa, creare decreuerit, & cur denique hanc illi dare in matrimonium constituerit.

Si hæc, quæ de proposito Dei diximus, ad Christum & Ecclesiam eius sponsam accom-

CHRISTI ET ECCLESIAE. 7

commodes, consilium hoc Dei luculentius
apparebit.

XIII. Non fuit bonum, Adamum pri-
mum esse solum: multo minus debuit se-
cundus Adamus esse solus: Ideo enim fa-
ctus est homo, ut esset novum novi corpo-
ris ad aeternam vitam electi, caput. Et ut es-
set primogenitus inter multos fratres: ut si-
cut per unum hominem peccatum intra-
vit in mundum, & per peccatum mors: sic
per hunc alterum hominem iustitia redun-
daret in multos, & vita aeterna.

Ne igitur caput solum esset sine mem-
bris, necessarium illi fuit corpus Ecclesiae:
quae & similis ei esset non solum humanam
naturam, sed etiam sanctitatem, non habens
maculam neque rugam: Et quae illi esset
subiecta, atque ad haeredes regni caelestis
procreandos, in finem usque mundi, adiu-
torium.

XIII. Voluit DEVS ex ipso Adamo
creare Evam, eamque efficere carnem de
carne eius, & os ex ossibus eius, perque hu-
ius adiutorium, totum inde deducere hu-
manum genus, hac primum de causa, ut
omnes homines essent ex uno capite atque
principio.

XV. Sic etiam Christus voluit e suo
latere, ex quo, ut Iohannes, ceu mysterium

8 DE SPIRIT. CONIVGIO

hoc explicans, effluxisse dixit sanguinem & aquam, materiam nimirum salutis & regenerationis Ecclesiæ; ex eo, inquam, latere Christus voluit Ecclesiam spiritualiter creari, & ita fieri carnem de carne sua, & os ex ossibus suis, vt qui futuri erant cœlestis regni hæredes, ex vno essent capite omnes, adeoq; rota Ecclesia.

xvi. Altera de causa voluit etiam Euam ex Adamo creari, vt maiori erga eam afficeretur amore.

xvii. Sic Christus voluit è suo latere Ecclesiam creari, vt ipse ad nos tanquam carnem suam amandos quodammodo magis ac magis afficeretur.

xviii. Prima causa exprimitur ad Heb. 2. Nam & qui sanctificat (Christus) & qui sanctificatur (id est Ecclesia) ex vno omnes.

Sicut enim Christus ex vno est Adamo secundum carnis naturam, nõ minus quàm alii homines: Sic nos sumus ex vno Christo, caro de carne eius, & os ex ossibus eius secundum spiritualem regenerationem.

xix. Atque ita sumus caro de carne eius, & os de ossibus eius, vt omnia bona cœlestia ab ipso habeamus: usque adeò vt nemo gloriari possit, se aliquid habere cœlestium bonorum, quod non ab ipso Christo, tanquam à capite in se deriuatũ habeat.

xx. Altera

CHRISTI ET ECCLESIAE. 9

xx. Altera caussa assignatur ab Aposto-
lo Eph. 5. Nemo vnquam carnem suam o-
dio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut &
Christus Ecclesiam: quoniam sumus caro
de carne eius, & os ex ossibus eius.

xxi. Denique consilium Dei præcipu-
um, cur Euam adduxerit ad Adamum, eam-
que illi dederit vxorē, fuit, vt per eius tan-
quam per sui adiutorii operam, filios pro-
crearet, & ita mundum hominib. repletet.

xxii. Sic Ecclesiam collegit, eamq; de-
dit Christo DEVS pater, vt per huius mini-
sterium quotidie novos sibi procreet filios,
quibus tandem impleatur regnum cœleste.

Ita videmus, ad primam particulam quod
attinet illius historię Gen. 2. consilium Dei,
quo noluit Adamum esse solum, sed illi da-
re adiutorium, non aliunde, sed ex ipso A-
damo eductum, optimè conuenire cum
eo, quo noluit, Christum hominem fa-
ctum, esse solum, sed dare illi Ecclesiam
sponsam, non aliunde, sed ex ipso Christo,
adeoq; ex eius carne, & sanguine, per Spiri-
tum S. procreatam. Oportuit duo esse capi-
ta, vnum generis humani secundum car-
nem: alterum populi Dei, secundum spiri-
tum. Hęc de prima particula.

Alteram particulam illius historię, continet II.
creationem ipsius Euę ex costa Adę. Ea sic

A v



10 DE SPIRIT. CONIVGIO

habet. Cùm ex cunctis animantibus non
potuerit vllum reperiri, quod posset esse
verum adiutorium Adamo, quodq; staret
coram eo: Sic ait Moses 4. Cadere igitur fe-
cit Iehoua Deus soporem super hominem,
& obdormiuit: tulitq; vnã de costis eius, &
clausit carnem pro ea: & ædificauit Iehoua
Deus costam illam, quam tulerat ex homi-
ne, in mulierem.

Summa hæc est.

T H E S I S

I.

EVa, quam Deus volebat esse vxorem
Adami, creata fuit non aliunde, quàm
ex Adamo ipso.

II. Ratio verò creandi, hæc fuit: Immisit
soporem magnum Deus in Adamum, & ex
eo dormiente eduxit costam: locũ vacuum
impleuit carne: è costa formauit mulierem.

III. Causa eductæ Eux ex costa Adæ,
expressa est paulò antè; quia nimirum De-
us noluit diuersi generis esse principium,
vnde humanum genus proditurum erat: i-
deo Euam quoque ex vno Adamo eductam
voluit, vt omnes ex vno essent homines.

IV. Hac in parte Adamus verus typus fu-
it Christi: quia sicut ex illo Eua & totum
genus humanum, sic ex hoc tãquam vnico
prin-



principio, procreata est, & procreatur semper tota Ecclesia. Et hoc est, quod Apostolus, verba Adæ interpretans, ait, *Nos esse carnem de carne Christi, & os ex osibus eius.*

III Ergo sponsa nihil habet, nisi quod accipit à Christo sponso, & capite: & eius consors est naturæ.

IV. Sed quid sibi vult iste modus, & ea ratio creandi Euam ex Adamo? Potuit certè etiam vigilanti Adæ eximere costam Deus, & inde Euam formare: sed noluit, propter mysterium rerum futurarum, de quo dixit Apostolus, *Mysterium magnum est.*

V. Sopor enim, seu profundus ille somnus immissus à Deo ipsi Adamo, typus fuit mortis Christi: Si enim somnus Dauidis, de quo Psal. 3. typus fuit mortis Christi, Augustino & post eum L. & aliis locum illum de morte & resurrectione Christi explicantibus: multò magis sopor Adami primi, typus fuit mortis Adami secundi.

VI. Nam somnus imago mortis est: unde & mortui vocantur in sacris literis dormientes.

VII. Ut igitur ex Adamo dormienteeducta est materia, unde formata fuit Eva: sic etiã à Christo in cruce mortuo exiuit sanguis & aqua, quib. Ecclesia abluta est à peccatis, & concepta & regenerata, facta caro de carne

Christi, & os ex ossibus eius. Generatio autem fit per sanguinem: ablutio per aquam.

IX. Bifariam autem intelligitur, quod dicimus, Ecclesiam è latere Christi mortui eductam esse, & creatam. Primò ratione meriti, quia tunc Christus suo sanguine omnibus electis, qui vnquam fuerunt, & futuri sunt, & ex quibus solis constat Ecclesia, remissionem peccatorum, & regenerationem ad vitam æternam, promeruit, & à patre impetrauit.

X. Secundò, ratione communicationis, quæ fit in Baptismo.

XI. Baptismus enim sacramentum est regenerationis: regenerationis autem materia est sanguis Christi pro nobis in cruce mortui.

XII. Ideo Apostolus Rom. 6. ait, An ignoratis, quòd quicumque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus?

XIII. Quia igitur in vero Baptismate, quod fit in aqua & spiritu, vis mortis & sanguinis Christi nobis communicatur, qua exuitur vetus homo, & nouus induitur, firmusque noua creatura: ideo quisque nostrum tum dicitur re ipsa fieri os ex ossibus Christi, & caro de carne Christi, cum in Baptismo regeneramur.

En

En mysterium eductæ & creatæ Eux ex costa Adæ graui somno correpti, & dormientis.

xiv. Pertinet huc quod ait Iesaias, *Si pro-* Ies. 53.
suerit pro peccato animam suam (Messias) videbit
semen longæuum. Ex morte enim & sanguine
Christi omnes electi renascuntur, in finem
vsque mundi. Hoc est illud semen longæ-
uum.

xv. Huic dicto consonat, quod Chri-
stus ipse dixit, *Nisi granum frumenti cadens in*
terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si
autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Hic multus fructus, eiusdem scilicet na-
turæ cum grano mortuo, est Ecclesia: quæ
participatione mortis & sanguinis Christi,
fit caro de carne eius.

xvi. Neq; mysterio caret, quòd ex co-
sta Adæ, quæ erat os durum, fabricata est
Eua: locus verò vacuus, impletus fuit carne.

xvii. Costa (vt pii quoque Patres in-
terpretantur) robur Deitatis Christi signi-
ficauit; caro, infirmitatem humanæ naturæ.
Christus nobis communicat diuinam su-
am naturam, vt Petrus loquitur, & fortes
efficit: contrà verò recipit ille in se infirmi-
tates nostras.

xviii. Osse igitur, diuina Christi natu-
ra: carne autem, humana significatur: Ideo

utrumq; etiam posuit Apostolus, dicendo: *Os ex ossibus, caro de carne*: quia in regeneratione & firmus participes diuinę eius nature, & caro, id est natura nostra, renouatur ac sanctificatur, fitq; alia, id est, caro Christi, &c.

xix. Verbum quoq; ædificandi, quo ait Moses, *Et ædificauit Iehoua Deus costam illam in mulierem*, suum habet mysterium. Significatur enim ædificium huius amplissimi tēpli, quod est Ecclesia. De quo Ephes. cap. 2. In quo & vos cœdificamini, in habitaculum Dei, &c. Et 1. Cor. 3. Dei ædificatio estis.

xx. Fundamentū ædificii, est petra fortissima Christus, cuius vis ac fortitudo per costam (vt dixi) significata fuit.

Hactenus secunda particula historię ex Gen. c. 2. in qua Eux creatio descripta est, Ecclesię autem regeneratio adumbrata.

III. Sequitur tertia particula, in qua coniugium ipsum describitur. Continet hæc
i. particula primò desponsationem Eux, ipsi Adamo: ait enim, *Et adduxit eam (Euam) ad ipsum Adamum*, nempe vt eam acciperet in matrimonium.

Emphasin habet illud, *ad ipsum Adam*, quasi dicat, ad eū, vnde desumpta fuerat. Eide igitur desponsat Deus Euam, vt denuò fiat magis ac magis vna caro cum illo, è cuius ossibus facta fuerat os & caro eius.

Se-

Secūdo continet consensū Adami in hoc 2.
coniugium, eoq; cōtinet coniugii celebra-
tionē. Adam. n. agnoscit eam pro sua vxore
carneq; sua. Hoc expressit Moses, dicendo:
Et dixit Adā, Hoc nunc os ex ossib. meis &c.
id est, Hoc os, & hęc caro, os & caro mea est,
eaq; ex ossibus meis &c. Ideo vocabitur vi-
rissa נישא isscháh, quia de viro sumta est.

Tertio, continet institutionē matrimonii 3.
toti humano generi cōcessi: & quàm arctū
sit coniugii vinculum, docet. Sic enim pro-
nunciauit Adamus, dicendo:

Propter hoc relinquet vnusq; patrē &
matrē suā &c. Eruntq; (duo) in carne vna, id
est, vna erunt caro. Sed hoc imprimis de
Christo intelligitur & de Ecclesia, Apосто-
lo interprete.

Quarto, cōtinet qualitātē status primi, in 4.
quo fuerūt Adā & Eua, ante peccatū. Erant
(inquit) nudi ambo, & non erubescabant.

Hęc omnia mysterium continent con-
iugii, quod inter Christum & Ecclesiam fu-
turum erat.

I. Non alii desponsat pater Ecclesiam,
quàm ei è cuius etiā latere desūta est, & quę
per regenerationem facta est caro de carne
eius, & os ex ossibus eius, hoc est Christo.

II. Neq; enim congruit, vt cum alio in
vnam carnem magis ac magis per matri-

monium coalescat, quàm cum eo, ex cuius carne & ossibus per regenerationem facta est caro eius & os.

III. Notandum igitur est in hoc coniugio, quis desponsat, quam desponsat, cui desponsat.

IV. Deus est, qui desponsat: is enim adducit Euam ad Adamum: Ioh. 6. Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Ad hanc autem rem modò vtitur ministerio hominum ad hoc vocatorum, vt sunt Apostoli, & alii Euangelii ministri: Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. 2. Cor. II.

V. Quos verò desponsat? desponsat eos tantùm, quos in Christo priùs elegit, quos sanguine Christi redemit, quos per Spiritum S. regenerat, quos cum Christo in Baptismate sepelit, ac viuificat. Euam enim, creatam è costa Adæ, non aliam, adducit ad Adamum.

VI. Sponsa ergo Christi dici verè non possunt, nisi qui renati sunt per sanguinem Christi, & caro facti sunt è carne Christi.

VII. Cui autem desponsat? Soli Christo: ideo is solus sponsus est Ecclesiæ: & ratio est, quia ex huius etiam solius latere exiuit sanguis & aqua, quibus lauamur à peccatis, & renati, fimus nouæ creaturæ, caro
de

de carne eius, & ossa ex ossibus eius. Ideo ait Moses, Et adduxit (Deus) eam (Euam iam creatam) ad ipsum Adamum: ad ipsum, inquam, è cuius costa formata fuerat.

VIII. Quomodo autem desponsat? Fidem donando, qua Christum agnoscamus, eum amplectamur, ei que nos subiiciamus. *Desponsabo te mihi in fide.* Consensus enim in ipsa etiam sponsa requiritur. Consensus autem iste ex fide est. Ideo, cum ait Moses, *adduxit eam*, subintelligendum est, non inuitam, sed consentientem. Et hoc significat verbū *וַיֵּבֵא* vaiebiáh, venire fecit eam. Hof. 2.

IX. Desponsat autem nos Deus Christo, nullis nostris meritis adductus, sed ex sua tantum bonitate & misericordia: ideo ait, *Desponsabo te mihi in misericordia & misericordibus.* Hof. 2.

X. Quòd etiam Euam & creavit ex costa Adæ, & creatam eidem Adæ desponsavit, vtrumque ex ipsius bonitate & gratia profectum est.

XI. Interim, vt dixi, consensum nostrum requirit: sed hunc etiam ipse donat, donata fide. Operatur enim in nobis velle. Hæc omnia colligenda sunt ex illis verbis, *Et adduxit eam ad ipsum Adamum.*

Atque hoc est primum, quod continet particula tertia illius historiae mysteriorum plenæ.

B

Secundo loco continet consensum etiam Adami, eoque coniugii celebrationem ac perfectionem. Dixit enim Adamus, *Hoc nunc os & caro mea est* (propter coniugium:)
& ex osse ac de carne mea (propter creationem ex costa.)

XII. Agnouit igitur Adamus Euam pro sua vxore: vbi enim vidit Deum hoc velle, vbi etiam spectauit consensum & voluntatem Euæ, ipse etiam idem voluit: & ex concursu harum trium voluntatum, DE I, Euæ, Adami, contractum fuit matrimonium. Ideo clamauit, *Hoc nunc os ex ossibus meis.*

XIII. Sed hoc verè & perfectè impletur in Christo, & in Ecclesia.

Præcedit æterna Dei voluntas, ipse enim adducit nos ad Christum: excitat etiam in nobis voluntatem, qua in hoc spirituale connubium consentiamus. Christus verò sponsus, non potest non velle quod vult etiam pater: ideo nos accipit, vt sponsam suam, & agnoscit pro sua carne, & ossibus, dicendo: *Hoc os ex ossibus meis.*

XIIII. Pertinet huc illud Iohan. 6. *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & quod venit ad me, non eiicam foras.*

Primum ait, *Omne quod dat mihi pater: en*
 pa-

patris voluntatem. Secundò ait, *Quod dat pater, venit ad me*: en voluntatem electorum & sponsæ. Tertio ait, *Quod autem venit ad me, non eiicio foràs*: en voluntatem sponsi Christi. His tribus voluntatibus perficitur connubium spirituale inter nos, & Christum.

xv. Quare vt Adamus agnouit pro sua sponsa, & carne, Euam, dicendo: Hoc nunc os ex ossibus, &c. sic Christus nos agnoscit pro sua sponsa, & carne: & pro tali nos amat, fouet, nutrit. Apertè enim Apostolus ex spiritu Christi ait, Nos esse carnem de carne eius, & os ex ossibus eius.

xvi. Ideo ad Paulum, cum persequeretur sponsam Christi, Ecclesiam fidelium, dixit, Saule, Saule, quid me persequeris? Quasi dicat, Tu persequendo Ecclesiam, persequeris me, carnem meam, & ossa mea.

xvii. Ac notandum est, Adamum illa locutione, Hoc nunc os, &c. significare voluisse, arctissimam omnium coniunctionem sibi cum Eua intercessisse: quia Eua, & caro eius erat, propter connubium, & caro de carne erat, propter sui ex eo procreationem.

xviii. Quid autem hac duplici connectione arctius? Potest enim aliquis fieri ca-

ro tua, sed non erit de carne tua, vt vxor, alterius filia, & ex alieno sanguine nata. Aliquis potest etiam esse de carne tua, sed non erit eo modo, quo vxor, caro tua, vt filius tuus, vel filia. At quòd quis sit & caro tua, qualiter sunt vir & vxor; & de carne tua, qualiter sunt filii: hoc demum arctissimum est vinculum.

xix. Talis autem nemo vnquam fuit, nisi Eua ipsi Adamo, & Ecclesia ipsi Christo.

xx. Proinde cùm illa verba Adami, Apostolus ad Christum de eius Ecclesia retulit, significare voluit, inter Christum, & inter nos, summam & arctissimam esse coniunctionem: quia & caro finis Christi, propter connubium; & caro de carne eius, propter regenerationem.

xxi. Quorsum verò hoc? vt in nobis adolescat fides, spes, charitas. Fides, de dilectione Christi erga nos, qui sumus caro de carne eius. Spes, de vita æterna; quia vbi vir, ibi & vxor, & vbi caput, ibi & corpus & caro. Charitas, quia cùm simus omnes caro de carne Christi, debemus & illum, & nos inuicem diligere, sinceraq; charitate complecti.

xxii. Ex hoc autem loco apparet, aliquod discrimen statuendum esse inter regeneratione-

generationem & desponsationem: quòd prioritate saltem naturæ præcedat regeneratio desponsationem: quia Eua prius educta est de costa Adæ, & deinde illi data in matrimonium,

XXIII. Certum est, posse aliquem regenerari sine præcedenti consensu propriæ voluntatis: sed nubere quis Christo, eumque pro sponso amplecti non potest, sine fide, sineque proprio consensu. Essentiale enim in matrimonio, est vtriusque partis consensus. Consentire autem non possumus, nisi voluntas renouetur, & ex mala fiat bona, & ex nolente volens. Tertio loco, particula illa mysticæ historiæ vltima continet matrimonii institutionem, & quid viro faciendum sit, vt vxori adglutinetur: *Propter hoc (inquit) relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhaerebit vxori suæ, & erunt (duo) in carne vna.*

XXIV. Hoc cum primis Apostolus de Christo & Ecclesia interpretatur: aitq; esse mysterium magnum.

XXV. Christus enim, propter hoc, id est, vt esset vna caro nobiscum, & nos cum illo, per coniugium spirituale, primò dereliquit patrè Deum. Quomodo? Paulus explicat Philipp. 2. Cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens.

xxvi. Huc pertinet, quod ait, Exiui à patre, & veni in mundum: non certè mutatione loci, sed nouæ eiusque vilis naturæ & conditionis assumptione.

xxvii. Matrem Mariam etiam reliquit, cum pluris fecit totam Ecclesiam, eam docendo, proq; ea moriendo, quàm matrem.

Quò illud ad matrem & Iosephum, An nescitis, quòd in iis, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Item, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?

xxviii. Adglutinatur autem vxori suæ Christus, suam carnem cum nostra, nexu sui Spiritus, verè & realiter coniūgendo: ita vt ille nobiscum, & nos cum illo facti simus, & fiamus quotidie magis ac magis, vna caro.

xxix. Arctissimam hanc coniunctionem inter Christum & Ecclesiam, significauit illis verbis Adamus, cum dixit, Erūt (duo, interprete Christo) לְבַשׁ אֶחָד lebaschár echád.

Mysterium hoc (ait Apostolus) magnum est: ego autē dico in Christo, & in Ecclesia.

xxx. Fuit igitur vaticiniū de arctissima & indissolubili coniunctione Christi cum Ecclesia, & Ecclesiæ cum Christo.

xxxi. Huius verè & realis cōiunctionis, sed per spiritū Christi, infinita extāt in sacris litē-

literis testimonia, & exempla, & similia.

xxxii. Coniunctionē hāc indicare voluit in sua propria persona Filius Dei, cū Verbum caro factū est. Nihil arctius excogitari potest hac vnione hypostatica naturæ nostræ cum natura diuina, in persona filii Dei.

xxxiii. Hac, ceu in speculo, præmōstrauit nobis, qualis & quanta futura esset illa coniunctio, qua volebat cum tota Ecclesia, id est, cum omnibus electis & fidelibus, esse vna caro.

xxxiv. Duæ naturæ sunt in vna persona; nos multæ personæ, ceu in vna natura & essentia: quia & Christus carnem nostram habet, & nos diuinæ eius naturæ facti sumus participes: ideo bene dixit Adamus: Erunt (duo) in carne vna.

xxxv. Immo etiam, vt Paulus docet, nos cum Christo sumus ceu vnus homo & vnū corpus: Christus caput, nos membra.

Quid verò magis vnum? an non vera & realis est vnio inter corpus & caput?

xxxvi. Hanc itē vnionem expressit, cū dixit, se esse vitem, & nos palmites: an non realis vnio est inter palmites, & vitem? Omnino: ita realis, vt vitis, & succus vitis, realiter influat in palmites.

xxxvii. Hanc eandem exprimere voluit, cū se ipsum pani, quem manducamus,

comparauit, & fideles manducantibus: cibus enim comestus vna caro fit cum comedente. Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in illo. Ioan. 6.

xxxviii. Eandem itidem expressit, cum dixit, Ioan. 17. Serua eos, pater, vt sint vnum, sicut & nos sumus. Item, Rogo, vt omnes (credentes) vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.

xxxix. Pater, Filius & Spiritus S. tres sunt personæ, sed in vna essentia: nos item multi sumus, sed in Christo vnum sumus, tanquam in vna essentia. Realiter distinguuntur personæ inter se: sed ratione essentiæ; realiter etiam vnum & idem sunt, id est, vnus Deus. Non congruunt quidem omnia in hoc simili: interim qualis, & quanta sit vnio hæc, qua, ratione connubii, vna sumus cum Christo sponso caro, non obscure declaratur.

xl. Christus quoque, Deus est de Deo, lumen de lumine, Deus filius, de Deo patre: Nos item sumus caro de carne, os de ossibus: caro, inquam, & os, de carne Christi, & de ossibus Christi.

Sed de hac vnione alibi fusiùs.

Hæc itaque est illa vnio, quam præfigurari voluit in omni coniugio viri & fœminæ, & de qua cum primis locutus est Adam,
cùm

cum dixit: Propter hoc relinquet quisque patrem suum, & matrem suam, & adglutinetur uxori suae: & erunt (duo) in carne una.

Postremo loco, paucis expressit Moses statum ac conditionem Adæ & Eux iam coniugatorum, ante peccatum. Erant (inquit) ambo nudi, Adam & uxor eius, & non erubescerent. 1. Reuera erant & incedebant nudi. 2. Innocentia significatur verbo, *Non erubescerent.*

XLI. Duplex hæc conditio consequitur connubium spirituale Christi cum Ecclesia post peccatum. Primum, Christus nudus fuit semper & est ab omni peccato: nudus item fuit, id est, pauper, idque nostra causa. Cum enim esset diues (ait Apostolus) factus est pauper, ut nos essemus diuites (bonorum scilicet spiritualium.)

Nudus venit in hunc mundum, nudus natus est, nudus, id est pauper, vixit: item nudus in cruce pependit: nihil etiam rerum terrenarum secum abstulit in cælum. Ergo nudus fuit Adamus etiam iste secundus.

XLII. Nuda quoque uxor eius. Nam primum Ecclesia Christo nupta, denudatur & spoliatur veteri homine, homine terreno & carnali, idque quotidie magis ac magis, donec tandem gloria & honore, si-

cut & sponsus, coronetur, & tota gloriosa
sistatur sponso in cœlesti regno.

XLIII. Deinde plerunq; etiam bonorum
huius mūdi nuditas consequitur. Hæc est e-
nim fors piorum & Ecclesię Christi, vt sicut
sponsus in hoc mundo pauper fuit, non ha-
bens vbi caput reclinaret, sic nos quoq; co-
gamur propter Christum relinquere bona
huius mundi, viuere pauperes, & multas
ferre persecutiones atque misérias. Quot-
quot piè volunt viuere in Christo, persecu-
tionem patientur, inquit Apostolus. Et de
quibusdam Apostolis legimus: Et relictis
omnibus secuti sunt eum. Nisi etiam quis
reliquerit domum, agros & omnia, quæ ha-
bet, non est me dignus, inquit Christus. Er-
go vterque erat nudus, Adam & vxor eius,
Christus & Ecclesia.

Subdit Moses: *Et non erubescabant.*

XLIV. Nam neque Christus erubuit de
sua nuditate, quam nostra causa suscepit:
neq; Ecclesia item singuliq; fideles erube-
scunt de sua nuditate & paupertate, quam
propter sponsū patimur: neq; cruces & mi-
sérias erubescunt, quas propter Euangeli-
um Christi ferre cogimur.

XLV. Apostolus dicebat 2. Tim. i. Quam
ob causam (id est, propter Euangelium
quod prædicabat) & hæc patior (misérias
sci-

scilicet multas & catenam) sed non erubescō. Laudat item ibidem Onesiphori familiam, quòd Apostoli causa non erubuerit catenam.

XLVI. Hæc igitur est conditio, consequens eos, qui verè propter connubium spirituale cum Christo, fiunt vna caro cum illo: nimirum, vt nudi incedant in hoc mūdo, denudati omni propria iustitia, meritis, fiducia in carne: denudati etiam plerunq; bonis huius mundi, sed ita denudati, vt de sua nuditate non erubescant propter Christum.

Hoc est quartum, quod in illa historia de coniugio Christi habemus.

Haftenus ex illa historia Mosis de creatione Eux, deq; eius connubio cum Adamo, vtcunq; intelligimus, qualis sit creatio Ecclesiae, & quale eius cum Christo sit coniugium: ac proinde quomodo intelligendum sit, quod Paulus dixit, Nos esse factos carnem de carne Christi, & os ex ossibus eius: & quomodo per hoc spirituale coniugium, ii duo, Christus & Ecclesia, facti sint vna caro, iuxta illud, Propter hoc deseret homo patrem, &c. & erunt duo in carne vna. Atque hæc de primo capite.

CAPVT SECVNDVM.

Summa doctrinae de carnali coniugio inter Adamum & Euam inchoato, & inter reliquos homines continuato, atque in finem vsq; mundi continuando.

FVndamentum hoc antè à nobis iactū, firmiter retinendum est: sicut duo ab Apostolo constituuntur Adami, primus & secundus, terrenus & cœlestis; tāquam duo prima principia humani generis, vnum secundum carnem, alterum secundum spiritum: ita etiam duplex, ex ipsa Mosis historia, ab eodem constitutum esse coniugium: primum ac secundum, carnale ac spirituale: vnum ad homines simpliciter in hoc mundo propagandos: alterum ad regnum cœleste filiis Dei replendum. Vtrumque enim hoc connubium colligit Apostolus ex iisdem verbis Mosis, in cap. 2. Gen. vt supra explicatum est.

De vtroq; autem primo capite per collationem vnus cum altero, ex ipsa Mosis narratione non nihil à nobis dictum est, quantum nimirum ipsa Mosis historia postulabat.

Nunc quæ communiter de vtroque simul, superiore capite diximus, ea separatim & fu-

& fusiùs explicanda nobis sunt. Ac primùm quidem in hoc secundo capite, quæ de carnali: deinde in tertio, quæ de spiritali nobis cognoscenda è S. literis proponuntur. Vera enim & naturalis docendi ratio hæc est, nimirum vt à notioribus nobis, ad minus nota: ab iis quæ cadunt sub sensum, ad ea quæ ratione percipiuntur: à corporalibus ad spiritalia: à typis, ad res ipsas procedamus.

Cæterùm quæ de carnali coniugio nobis seorsim cognoscenda sunt, ea ex historia Moſis, tanquam ex vero & certo totius huius doctrinæ fonte fideliter hausta, breui & Dialecticamethodo, secundum ordinem caussarum, officiorum, & consequentium, explicanda nobis sunt, atque etiam confirmanda: idque vt inde faciliùs, quæ porrò de spiritali dicenda fuerint, à quouis, vt supra dictum est, intelligi possint. Nunc ad rem: explicatis priùs, aliquot thesibus, de hoc carnali coniugio, quæ ex præcedente Moſis historia restant explicanda.

I. Ex eo, quod Moſes narrat, Ex omnibus animantibus nullum fuisse repertum, quod posset Adæ dari in adiutorium: eoq; necessarium fuisse, vt Eua ex eius costa ædificaretur, quæ illi daretur in matrimonium: docemur, contra voluntatem Dei esse, eoq;

& cōtra naturam, vt homo cum brutis rem habeat: id quod postea lege etiam lata cautum est ne fieret, Leuit. 18.

I. Quòd item dederit illi fœminam: significauit, masculeã quoq; Venerẽ esse cōtra naturam, Deoq; execrabilem: quam postea & seueriter puniuit, & sua lege expressè capitali morte damnauit, Leuit. 18.

III. Quia dedit illi coniugem, cum qua sola rem haberet: inde declarauit Deus, se omnes vagas libidines & pollutiones extra legitimum coniugium, damnare.

IV. Item ex eo, quod Moses ait, Deum adduxisse Euam ad Adamum: docet, non licere vel viro, vel mulieri, ad quamlibet, vel ad quemlibet, suæ libidinis explendæ causa, accedere: sed ad illum, vel ad illam dūtaxat, ad quem, vel ad quam vocatur & adducitur, & cum quo, vel cum qua coniungitur à Domino. Illi autem dicuntur coniungi à Domino, qui secundum verbum Domini coniunguntur.

V. Item, Quia Dominus exigit cōsensum ab Adamo, dum adducit ad eum Euam: docemur, nemini inuito obtrudendam esse vxorem: & per consequens nec inuitæ vxori virum.

VI. Quia Dominus ipse adducit ad virum vxorem: docemur, non licere facere diuor-

diuortium coniugib. sine expressa Deivoluntate: Quia quos Deus coniunxit, homo non separet.

VII. Inde etiam colligitur: Quaecunque alteri legitimè, & secundū verbum Dei nubit, eam vxorē datam esse à Domino, eoq; amandam & fouendam. Dominus enim adducit vxorem ad virum: & Salomon ait, Dominus & diuitiæ donātur à parentibus, à Domino autem vxor prudens. Quare ducturis vxorem rogandum esse Dominum, vt bonam adducat vxorem. Prouer. 19.

VIII. Deinde ex eo, quòd Adamus Euā accipiens vxorem, dixit, *Hoc est os meum, & caro mea, de ossibus meis, & de carne mea:* colligimus, officium viri esse, amare & fouere vxorem, tanquam suam carnem. Nemo enim carnem suam odit.

IX. Quòd verò Adamus dixit, *Propter hoc relinquet quisq; patrem & matrē, & adhaerebit vxori suæ:* præter ea, quæ suprā dicta sunt, docemur etiam, in matrimonio contrahendo seruandos esse gradus, & sanguinis honestatisq; naturalis habendā esse rationem: vt primo loco cum illis non contrahantur nuptiæ, qui parētes sunt, aut parentum loco habentur. Hinc enim regula illa est: Nuptias inter ascendentes & descendentes, nunquam esse licitas, idque non solum

in linea recta, sed etiam in obliqua, inter eas scilicet personas, quæ parentum loco sunt, tam in affinibus, quam in consanguineis: de quibus gradibus lata lege postea clariùs & copiosius locutus est per Moſen, Leuit. 18.

x. Item damnatur polygamia; quia duostantum coniunxit Deus, masculum vnũ, & fœminam vnã. Et sic locum hunc interpretatus est Christus, Matth. 19. Et erunt duo in vna carne. Item, Adhærebit vxori. Non igitur vxoribus.

x. i. Damnatur etiam iisdem verbis adulterium: *Adhærebit (inquit) vxori suæ.* Ergo non alienæ, aut ei quæ non sit vxor sua.

x. ii. Item cauetur, ne fiat diuortium, dum vxor tua est, aut vir tuus, quia ait, *Adhærebit vxori suæ.* Ergo dum vxor est, ab ea non discedes, nec eam à te repelles. Est autem semper vxor, si non fiat adultera. Atque hoc etiam ex illis verbis conclusit Christus.

x. iii. Quod si vxor vel desinat vna esse caro tecum, & vna caro fiat cum adultero; vel nolit vt sibi adhæreas, sed deserat te, liber factus es: sicut de primo cõcludit Christus, & de secundo Apostolus. Subintelligitur autem semper, vt causa legitimè prius cognoscatur. Semper enim illud retinendum est Christi: Quod Deus coniunxit, homo

mo non separet. Si igitur separandi sunt coniuges, ad Deum in eius verbo veniendum est, ut is separet. Illi igitur tantum verè separantur, qui causa legitimè cognita, per verbum Dei separantur.

Hæc etiam ad coniugium spirituale, de quo agimus, suo modo pertinent, ut videbimus. Sed iam in certas particulas, certasque theses, quæ de matrimonio carnali sparsim dicta sunt, & dici possunt, colligamus & ordine explicemus.

In omni coniugio hæc ordine consideranda sunt, quæ etiam de primo coniugio, deque institutione coniugii narrantur à Mose. 1. Causa materialis. 2. causæ efficientes. 3. causa formalis. 4. causæ finales. 5. officia viri & vxoris. 6. consequentia matrimonium.

I.

Materia coniugii, est masculus & fœmina. 1. Materia coniugii.
Definitur enim matrimonium, quod sit coniunctio maris & fœminæ.

I. 1. Verum non quælibet fœmina, aut quilibet masculus, legitima est materia, sed qui sint eiusdem speciei. Hoc indicavit Moses, cum narrat, Ex cunctis animalibus non fuisse repertum vllum, quod posset dari Adamo in adiutorium, hoc est, in matrimo-

C

nium: & ideo creatam fuisse Euam è costa Adæ.

III. Deinde, neq; quælibet mulier, aut quilibet vir, idonea est materia ad coniugium, sed requiritur vt sint adulti, quò possint consentire in coniugium, & ad officium matrimoniale sint accommodati. Ideo Deus etiam & Adamum & Euam creauit adultos, & ætatis perfectæ.

IV. Neq; quilibet vir, aut mulier adulti, legitima sunt materia; sed requiritur vt tales sint, quales præscribit lex Domini, Leuit. 18. de gradibus consanguinitatis & affinitatis. Quam conditionem significauit etiam per Adamum Deus, cum dixit, *Relinquet patrem & matrem*, vt supra explicatum est.

V. Vt etiam sit legitima materia, necesse est, vt sint duo tantum, vnus masculus, & vna fœmina, non autem plures. Non enim vna pluribus nubere, aut vnus plures simul ducere potest in matrimonium. Et hoc etiam docuit Dominus, qui duos tantum coniunxit, & vnã adduxit ad vnũ.

VI. Fidelem ac piã ad fidelem adduxit: Detur ergo opera, vt ambo sint pii.

Atque hæc de legitima & idonea coniugii materia. Ideo etiam Dominus primo loco creauit hanc materiam.

Se-

Secundo loco considerandæ sunt causse ^{2. Causse} efficientes, id est, quæ matrimoniū consti-
^{efficientes.}
 tuunt.

vii. Causa quidē prima & remota est De-
 us, à quo institutū est coniugiū, & à quo v-
 xor datur viro, & mulieri vir, & à quo leges
 matrimonii cōstitutę sunt: vnde & Christus
 dicit, Deū illū esse, qui cōiungit: Quod De-
 us coniunxit, homo non separet. Ideo con-
 sensus diuinæ voluntatis, prima est coniu-
 giū efficiens causa.

viii. Sed causse propinquæ sunt tres:
 consensus parentum, consensus sponsi, &
 consensus sponsæ.

ix. Parētes despondent liberos: liberi de-
 sponsi in sponsionē seu in desponsationem
 cōsentiunt. Sic. n. Deus tanquam parēs post
 creatā materiam coniugii, statim secundo
 loco ipse voluit, vt Eua nuberet Adamo, &
 Adamus Euam acciperet: & ex consensu
 tum Dei primū, tum deinde Euæ, & Ada-
 mi, contractum fuit matrimonium.

x. De consensu sponsi & sponsæ, extra cō-
 trouersia est, sine eo, id est, sine libero vtri-
 usq; partis cōsēsu, nullū esse matrimonium.

xi. Sed & lex Dei, & leges Imperiales ac
 Romanę, quæ sūt à lege nature, nolunt vllū
 ratum esse matrimonium, sine volūtate &
 cōsēsu parētū. Ergo causse propinquę ma-

trimonium constituentes sunt, vt dictum est, hæ tres: Voluntas parentum: voluntarius consensus filii: & voluntarius consensus filia.

3. *Causa formalis.*

XII. *Causa formalis coniugii*, quæ immediatè ex illo triplici consensu nascitur, est ipsa legitima vtriusq; partis coniunctio, quæ duobus fiant vna caro.

XIII. Sic enim definitur coniugium, quod sit legitima masculi & fœminæ coniunctio: vt causa materialis sit mas & fœmina, formalis autem, ipsa coniunctio.

XIII. Sic enim factum est cum Adamo & Eua: postquam consenserunt, statim facti sunt vna caro: & ideo dixit, Hoc os (scilicet meum est) & hæc caro (scilicet mea est) ex ossibus meis, & ex carne mea. Et sic de omni coniugio dixit: *Erunt duo in carne vna.*

XV. Et Christus ait, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: docens, sicut in separatione (nempe legitima, hoc est, quæ fit propter adulterium) consistit euersio matrimonii: sic contrà in coniunctione consistere matrimonii constitutionem.

XVI. Coniunctio igitur hæc, causa est formalis matrimonii. Vnumquodq; enim habet esse per suam formam.

4. *Causæ finales.*

XVII. Finis triplex est: primus, ne homo sit solus, sed habeat sociam & adiutricem:

cem; & vicissim, ne fœmina sit sola, sed habeat virum ac caput & *σολῆνα*, à quo regatur & seruetur, in tota vita.

XVIII. Finem hunc indicauit Deus, dicendo: *Non est bonum, hominem esse solum: faciam illi adiutorium, quod sit coram eo.* Sic neque bonum est, fœminam esse solam: propterea Deus dat illi virum, tanquam caput.

XIX. Nihil felicius vita coniugali, si adsint illa, quæ Deus vult esse in vero coniugio: vnio præsertim animorum, ita vt anima vna sit in duob. corporibus; eoq; si sint verè vna caro. Prouerb. 31. Cui contigit proba vxor, ea præstat gemmis: Confidit ea cor mariti, & res familiaris non deficiet. Ergo vt felicior esset & suauior hominis vita, institutum fuit matrimonium: quia alioqui bonum ei non erat, vt esset solus.

XX. Secundus finis est, certa soboles, & legitimi hæredes, ex quibus propagetur humanum genus in terra: & per consequens, ex quibus colligatur Ecclesia, in omnem æternitatem victura cum Christo.

XXI. Vult enim Deus humanum genus propagari non ex vagis libidinibus, sed ex legitimo coniugio: vt ex iis porro euocentur electi, & colligatur Ecclesia.

XXII. Finem hunc expressit, cum benedicens Adæ & vxori, ita eis dixit, *Crescite & multiplicamini, &c.*

XXIII. Hunc etiam finem indicauit verbo *ædificandi*: *Et ædificauit costam in mulierem*. Significauit enim per creationem Euaë, tradendæ in matrimonium viro, ædificatum iri familias, vrbes, regna, & in primis Ecclesiam: de qua & CHRISTVS: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.

XXVI. Tertius finis fuit & est, vt post peccatũ vitetur vagæ libidines & fornicationes.

XXV. Hunc tradit Apostolus I. Cor. 7. *Propter fornicationem quisq; suam habeat vxorem*.

XXVI. Quidam addunt quartum, qui est, vt coniugium carnale esset mysterium & sacramentum spiritualis.

s. Officia viri & vxoris.

XXVII. Considerentur etiã hîc officia viri & vxoris; quæ officia sunt ceu causæ coniugium illibatum conseruantes. Hæc sunt duplicis generis: quædam vtriusq; partis communia, quædam cuiusq; propria.

XXVIII. Cõmunia sunt mutuus amor, & mutua fides. Amore enim vniuntur multi in vnum, quia amor coniungit amantem cum amato: fide autem omnes conseruantur societates.

XXIX. Vtrumq; expressit Adamus: primum, dicẽdo: *Adharebit vxori* (nẽpe non tam corpore, quàm animo & amore:) alterũ, dicẽdo, *Sue*: item dicẽdo: *Erunt duo in carne vna*.

XXX. Debent igitur hæc fidem sibi mutuã ser-

seruare, vt non adglutinentur alteri, nec fiant per adulterium alterius caro. Hac potissimum ratione conseruatur vinculum matrimonii.

xxx. Officia cuiusq; propria, multa sunt, de quib. aliàs: sed in summa eò reuocantur, vt vxor subiecta sit viro, ab eo pendeat, sinatq; se ab illo regi: & vt vir, tanquam caput, regat vxorem, foueat, tueatur, seruet.

Consideranda etiam sunt consequentia matrimonium.

6. Consequentia matrimonium.

xxxii. Primum & præcipuum est, quòd cū i. cuiusq; corpus factum sit alteri comune: omnia etiam, quæ cuiusq; sunt propria, siue prospera, siue aduersa, eadem fiant alterius communia. Quicquid est mariti, sit vxoris: quicquid vxoris, sit mariti. Hoc ita proprium est coniugii, & cõsequitur coniugium, vt ab eo separari non possit.

xxxiii. Hoc demonstrauit Moses, dicendo: *Erunt (duo) in vna carne.*

xxxiv. Alterum, sunt variæ cruces & molestiæ, quib. status cõiugalis exercetur: paupertas, morbi, exilia, curæ, iniuriæ, tum à domesticis, tum à peregrinis illatæ, & alia id genus, quæ in matrimonio ferenda sunt.

xxxv. Rursus ingentes sunt cõsolationes & benedictiones, quibus Deus coniuges, in vero amore & fide viuentes, afficit.

Non enim caret suis consolationibus & fructibus pium sanctumque coniugium. Donantur liberi, augetur res domestica, in rebus aduersis alter alterum consolatur, ei-que adest: in prosperis sibi inuicem gratulantur, inuicem laudant Deum.

Ad hæc pauca matrimonium consequentia, reliqua omnia referri possunt, etiam quæ inter effecta matrimonii connumerari solent.

Quare iis, quæ modò de matrimonio secundum genera causarum, officiorum & consequentium, dicta sunt, tota matrimonii doctrina nobis satis comprehensa esse videtur.

III.
Nomina varia matrimonium significantia.

XXXVI. Confirmationis autem locum iis cõiungi possunt nomina varia, quibus matrimonium apud Græcos & Latinos nominatur: varias coniugii qualitates, & proprietates significantia.

XXXVII. Γάμον vocant Græci. Duplex huius nominis adfertur etymologia: quidam γάμον quas δάμον dictum volunt, à verbo δαμάζειν, domare: quòd domentur virgines, & viris subiiciantur: refertur hoc ad proprium mulieris officium, quod est vt subiecta sit viro. Alii volunt sic vocari, ὡς τὸ δεδμηῆσθαι ἀλλήλοις τοὺς συζύγους, quòd coniuges simul vinciantur. Refertur hoc ad formam,

mam, quia coniugium est coniunctio duorum, viri & fœminæ. Sunt enim ὁμόζυγοι.

Huic respondet vox Latina, coniugium, à iugo, quo simul vincuntur vir & vxor: vnde Apostolus, Nolite iugum ducere cum infidelibus, id est, matrimoniū contrahere.

xxxviii. Matrimonium autem vocatur à matre, quòd in hunc potissimum finem nubere debeat fœmina, vt fiat mater: Et sic vxorem suam vocauit Adam, Euam, חַוָּה hauhah, viuam, quòd futura esset mater omnium viuentium. Ad finem matrimonii refertur.

xxxix. Nuptiæ autem vocantur, & connubium, à nubēdo, quòd virgines cùm ducerentur ad matrimonium, se nuberent, id est, obuelarent, pudoris ergo; & vt darent testimonium suæ ad virum subiectionis. Exemplum habemus Gen. 24. in Rebecca.

Hæc de secundo capite, hoc est, de coniugio carnali, dicta sunt: quæ ideo à nobis sex membris comprehensa fuerunt, vt inde porrò, quæ de coniugio spiritali dicturi sumus, & quæ sparsim in sacris literis traduntur, non minus facilè, quàm quæ de carnali dicta sunt, innotescant. Eandem enim methodum secuturi sumus.

Doctrina de spirituali connubio, ad formam doctrine de carnali, explicatur.

ERgo accedamus ad tertium caput principale, & videamus, quomodo quæ diximus de carnali coniugio, iuxta illa causarum genera, quadrent in coniugium spirituale, quod est inter Christum & Ecclesiam.

Primum fuit de materia coniugii, quòd ea sit masculus & fœmina, non simpliciter, sed qui sint eiusdem speciei & naturæ.

Materia cõ-
iugii spiri-
tualis.

I. In hoc spirituali coniugio, ab vna parte est Christus loco maris: & ab altera parte, Ecclesia sancta, loco fœminæ, & quidem loco Euæ, è costa Adæ creata.

II. Christus enim secundus Adamus, est caput Ecclesiæ, eiusq; $\sigma\omega\lambda\eta\rho$, de cuius latere educta est Ecclesia, eo sensu, quo supra explicauimus.

III. Is enim fœcundam efficit Ecclesiam, femine verbi sui & Spiritus S. in eius animum iniecto: meritò igitur locum viri obtinet.

IV. Ecclesia verò locum fœminæ & vxoris tenet: quia hæc subiecta est Christo, & semen spirituale accepit à Christo, ac
per

per huius ministerium multos sibi gignit filios Christus. Hac de prima conditione legitimæ materiæ in hoc spirituali matrimonio.

v. Eiusdem speciei sunt Christus, propter & secundum humanitatem assumtam, & Ecclesia. Secunda conditio.

vi. Hac enim de causa Verbum caro factum est, id est, filius Dei factus est homo, ut posset verus esse sponsus Ecclesiæ. Nam non decuit, ut matrimoniū hoc contraheretur inter personas, quæ non essent eiusdem speciei & naturæ: quemadmodum neque caput alicuius, diuersæ à corpore naturæ & speciei esse potest.

vii. Est autem vir caput vxoris, & vxor corpus caroq; viri, ait Paulus.

viii. Proinde propriè loquendo, & secundum scripturas, Deus pater non est sponsus Ecclesiæ, neque Spiritus Sanctus, sed Filius; quia is solus factus est homo: Pater vero sponsam hanc dedit Filio: per suum autem Spiritum hanc copulauit, & adglutinat filio.

ix. Iohan. 6. *Omne quod dedit mihi pater, &c.* Et ita Iohannes Baptista dixit, Christum Ecclesiæ sponsum esse: Et Apostoli idem semper confirmant. *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo*, ait Paulus: &

sponsa in Apoc. inuocat suum sponsum, & ait, *Veni Domine Iesu, veni.*

x. Quare quæcunque etiam leguntur in libris veteris Testamenti testimonia de connubio inter Iehouam & inter Ecclesiam, vt illud Osee. 2. *Desponsabo te mihi in fide:* ea omnia de Christo, id est, de filio in carne manifestando, propriè & immediatè intelligenda sunt.

x. i. Hanc enim ob causam Filius Dei, vt scilicet posset verus esse sponsus Ecclesie, & eiusdem cum ea naturæ, ita factus est homo, vt nobis per omnia similis naturâ factus sit, de toto peccato: Et rursus, vt Ecclesia quoq; similis ei esset, eâ regenerat, & emūdat à peccato: ne dissimile sit corpus capiti, aut caput corpori: sed vt & vir & vxor, vna sint caro, eiusdem nature, & qualitatis.

x. ii. Hinc, id est, ex hac conditione, quòd oporteat sponsum eiusdem esse speciei & naturæ, cuius est & sponsa, sponsæque per omnia similem, excepto peccato: facile est videre, qualis sit eorum doctrina, qui docent, Ecclesiam talem habere sponsum, cuius corpus sit corpori sponsæ prorsus dissimile, inuisibile, impalpabile, incircumscriptionum, vbique corporaliter, & sua substantia præsens.

x. iii. Tale corpus eiusdem certè speciei
ei

ei non est cum corpore sponsæ. Ergo talis Christus, sponsus eius non est, cum non sit ei naturâ per omnia similis.

xiv. Quare qui huic Pseudo-christo se subiicit, eum colit, adorât, eumque amplectitur pro suo sponso: is adulterium committit aduersus verum Christum, qui factus est nobis similis per omnia absque peccato.

xv. At, inquit, idem Christus suum corpus habet in cælo circumscriptum, visibile, palpabile; in terris autem inuisibile &c.

xvi. Resp. Primùm, talem Christum nobis non describunt scripturæ, talem non nouit Ecclesia, immo reiecit contra Martionem.

xvii. Aut idem est corpus, aut diuersum, quod dicitis esse inuisibile, &c. Si diuersum, ergo iste Christus non est sponsus Ecclesiæ: nam sponsus Ecclesiæ corpus habet & animam, eiusdem prorsus naturæ cum corpore & cum anima Ecclesiæ, id est, nobis est per omnia similis. Item, verus Christus, sponsus Ecclesiæ, nõ habet nisi vnum corpus, quod sum sit de virgine, nostro omnino simile.

xviii. Si verò dicas, vnum & idem esse corpus, sed diuerso modo essendi, esse in cælo, & in terra; in cælo circumscriptiuè,

in pane definitiuè, vbique repletiuè.

xi x. Resp. Primùm vna & eadem res tot modos essendi habere non potest.

xx. Secūdò, hinc etiã efficietur, illud corpus non esse nostro per omnia simile.

xxi. Corpus. n. sponsæ & nunquã & nusquam aut fuit, aut est, aut esse potest tale, vt sit simul & semel visibile & inuisibile, circumscriptum & incircumscriptum: aut alibi circumscriptiuè, alibi definitiuè, vbique repletiuè, existat.

xxii. Quare neq; verus sponsus Ecclesiæ, tale corpus habere potest, quod incompatibiles habeat proprietates.

xxiii. Quòd si habet (quod tamẽ *ἀδωά-
τος* est) verus Ecclesiæ sponsus non fuerit, sed adulter, quia eiusdem naturæ & speciei non est cum sponsa.

xxiv. Præterea istud corpus, quod aiunt esse vbiq; præsens, sed inuisibile, &c. aut est animatum, animaq; rationali præditum; aut non est animatum.

xxv. Si non est: Ergo qui hoc constat corpore, non est verus sponsus Ecclesiæ Christus. Corpus enim veri Christi animatum est, & viuit.

xxvi. Si est animatum; aut eãdem anima, qua & illud quod in cœlo est circumscriptum, visibile, palpabile, animatum est; aut alia & diuersâ.

xxvii. Si

XXVII. Si diuersâ: non est igitur is noster Christus, sponsus Ecclesiæ: Christus enim noster vna tantum constat anima, sicut & corpore vno, illa inquam anima, quam emisit è corpore cum moreretur, ac proinde quæ sicut tunc non fuit vbi- que (emissa enim fuit è corpore) sic nec postea resumta, vnquam fuit aut est vbi- que.

XXVIII. Si verò eâdem anima hoc inuisibile corpus animatum esse dicas, qua & illud visibile, quod in cælo est; hoc verum esse non potest.

XXIX. Ratio prima est, quia vna anima duorum eorumque diuersissimorum corporum forma esse nequit.

XXX. Secunda, quia anima humana nostri sponsi, est forma corporis physici, organici. Corpus autem quod fingis vbiq; esse, incircumscriptum, &c. physicum non est, neque organicum, &c.

XXXI. Item anima, qua præditum est corpus nostri sponsi, quod in cælo est finitum & circumscriptum, terminos sui corporis non excedit, nec egreditur sua substantia. Eâdem igitur anima, qua illud visibile in cælo animatum est, hoc inuisibile, & vbiq; corporaliter præsens,

animari non potest. Quare corpus nostri sponsi esse non potest, cum nō sit eiusdem naturæ & speciei cum corpore sponsæ.

Ac de secunda conditione, quæ requiritur in materia legitima huius matrimonii, satis.

Tertia conditio.

XXXII. Tertia conditio materiæ fuit, ut tales sint vir & fœmina, qui possint in matrimonium consentire. Hæc neque in Christo, neque in Ecclesia desiderari potest: in Ecclesia, inquam, id est in adultis (ut omnibus liquet) hominibus.

XXXIII. Infantes verò etsi propria voluntate actu consentire non possunt, consentiunt tamen aliena, nempe Ecclesiæ & parentum voluntate, consensuri propria, cum adoleuerint.

XXXIV. Proinde pater cœlestis, qui eos per sanguinem Christi, vi sui spiritus, regeneravit, & corpori Ecclesiæ inseruit: eos etiam in corpore Ecclesiæ pro carne Christi agnoscit, & ab hoc sancto coniugio non excludit.

XXXV. Tota enim Ecclesia, sponsa Christi est: infantes autem renati, pars sunt Ecclesiæ.

XXXVI. Quanquam enim re ipsa tum demum & ipsi fieri sponsa Christi dicuntur, cum in coniugium hoc propria voluntate

tate

tate consentiunt: semper tamen, ut dictum est, eos pro sua sponsa agnoscit Christus, tum quia ipse consentit, tum quia illorum nomine & pater cœlestis vult, & parentes secundum carnem, consentiunt, tum quia videt illos suo tempore consensuros, qui nunc consentiunt *δωράμεν*, quæ tandem reuocabitur ad actum. Ergo in hoc coniugio neque hæc tertia legitimæ materiæ conditio desideratur.

XXXVII. Quarta conditio, de gradibus consanguinitatis, hic locum non habet, ideo nullum adfert impedimentum. Quarta conditio.

XXXVIII. Quinta conditio materiæ, nempe ut sint duo tantum, vnus masculus, vna fœmina, non desideratur. Quinta conditio.

Licet enim diuersi & multi sint fideles, id est, membra Ecclesiæ: quia tamen omnes vno & eodem spiritu sunt in vnum coniuncti, & in vnum corpus baptizati per eundem Spiritum: idcirco multitudo membrorum non impedit, quin omnes sint vnum corpus, vna caro, & ceu vnus homo eoque vna sponsa Christi.

XXXIX. Nam neque multitudo membrorum in corpore Christi naturali impedit, quin vnum tantum habeat corpus: neque duæ naturæ impedimento sunt, quin sit vnus tantum & idem Christus, eoque vnus sponsus.

D

XL. Vnicus autem est Christus, quia vna tantum est persona, constans vna & eadem deitate cum Patre & Spiritu S. id est, subsistens in vna & eadem essentia: constans item vna humana anima, & vno humano corpore, nostris per omnia similibus.

XLI. Vnicus igitur est Christus, ille inquam, qui suo vnico & finito corpore in caelo sedet ad dextram Patris: & hunc vnicum semper Ecclesia agnouit pro suo sponso, & non alium.

XLII. Quod si ei aliud affingas corpus, & aliam animam, iam non erit vnus Ecclesiae sponsus, sed duo. Absit autem haec polygamia ab Ecclesia Christi.

XLIII. Proinde ab hac etiam conditione apparet, quam portentosum & blasphemum sit dogma eorum, qui re ipsa duos sponfos dant Ecclesiae.

Sexta conditio.

XLIV. Adieciamus aliam conditionem, cauendum esse, ne pius ducat impiam, aut ne pia nubat impio. Hortatur enim Apostolus, ne fideles iugum ducant cum infidelibus.

XLV. Christus certe Ecclesiam, quam sibi copulare voluit, prius lauit a peccatis sanguine suo in cruce: impetrata nimirum illi a Patre remissione peccatorum, eamque sibi imputatione & communicatione sancti-

ctitatis suæ sanctificans. Deinde re ipsa per
lauacrum regenerationis vnumquodque
membrum Ecclesiæ lauat à peccatis, & rea-
li sanctitate sanctificat.

XLVI. Quas verò adhuc illa habet pecca-
torum reliquias, partim non imputat, par-
tim magis ac magis quotidie tollit, donec
randem tota, sine macula & sine ruga, glo-
riosa sistatur ei in cælo.

XLVII. Hinc sequitur, Qui sanguine
Christi à peccatis abluti non sunt, nec per
eius Spiritum renati, eos non esse sponsam
Christi.

XLVIII. E' costa Adæ creari oportuit e-
am, quæ debuit esse ipsius Adami sponsa:
sic è latere Christi, vnde fluxit sanguis &
aqua, lauetur à peccatis, & regeneretur
necesse est illa, quæ vxor & sponsa Chri-
sti esse debet. Non enim Pater adduxit ad
Adamum, nisi illam, quæ ex sancta eius co-
sta creata fuerat sancta.

XLIX. Sed neque Adamus aliam agno-
uit pro sua vxore, quàm quæ è sua costa fue-
rat educta: neque vxor alium nouit pro sua
marito, nisi eum, è cuius costa creata fuerat
sancta.

L. Sic etiam neq; CHRISTVS aliam a-
gnoscit pro sua Ecclesia, nisi quæ è suo la-
tere in cruce educta est, id est, quæ

suo sanguine abluta est à peccatis, & regenerata, nouaque facta creatura: Et vicissim vera Ecclesia alium non agnoscit pro Christo, proque suo marito, nisi eum, qui secundum carnem natus est è semine Dauidis in utero virginis, qui fuit in cunis, qui edit & bibit cum aliis, qui habitauit non ubiq; inter Gètes, sed in Palestina inter Iudeos, qui passus est pro nobis, qui cruci affixus, qui spiritum emisit è corpore, cui apertum fuit latus, è quo exiuit sanguis & aqua, materia nimirum nostræ redemptionis & regenerationis: proinde è cuius in cruce mortui laterè procreata est tota Ecclesia.

L I. Cedò verò, ipse Christus, cuius corpus aiunt Heretici ubiq; esse sua substantia, inuisibile, impalpabile, éstne ille, è cuius latere sanctificata est Ecclesia? Neque enim tale corpus, vllum habet latus vel dextrum vel sinistrum, nullum sanguinem, nec est è semine Dauidis, nec natum è virgine, nec passum, nec crucifixum.

L II. Ecclesia igitur Christi, sicut nunquam agnouit, sic nec nunc agnoscere debet talem Christum pro suo sponso; & cõtenta esse debet illo Christo, cuius corpus in cœlo est, & cuius sanguine sanctificata & seruata est. Atque hæc de materia coniugii. Ex quibus apparet, si spectemus materiam

con-

coniugii legitimam, coniugium inter Christum illum, qui in cœlis est sua humana natura, & inter Ecclesiam, quæ partim in cœlis, partim in terris est, verum, legitimum, & sanctum esse coniugium.

LIII. Nam si quis de Angelis excipiat, illos quoque partem esse Ecclesiæ, nec tamē esse eiusdem naturæ cum Christo, quia neque sunt DEVS, neque homines: huic respondeo, primū: Illos ad corpus Ecclesiæ pertinere, ego non dubito, propter testimonium Apostoli ad Hebr. 12. vt de aliis taceam. Secundò, etsi verò non sunt homines, sicut Christus, non sunt tamen diuersæ prorsus naturæ, propter animam Christi: sicut enim hæc creatus est spiritus, sic illi sūt creati spiritus, præditi intellectu & voluntate.

LIV. Propriè tamen loquendo, coniugium contractum dicitur inter Christum, & inter cœtum hominum electorum. Non enim assumpsit Angelos (ait Apostolus) in vnitatem personæ, sed semen Abrahæ. Nec dici verè potest, de Christo & de Angelis, id quod de ipso & Ecclesia prædicat Paulus, quòd sint duo in vnam carnem, seu vna caro: cùm Angeli careant carne.

LV. Sunt tamen & ipsi vnum cum Christo, & sub eo sunt, tanquam sub capite. Est

enim Christus caput etiam Angelorum. Eph. 1. & Colof. 2. Qui est caput omnis principatus & potestatis, &c. & ut in illos etiam à se influat gratia & vita & sapientia, efficit, sicut & in homines fideles. Proinde à corpore Ecclesiæ separari non possunt. Ita quodammodo ipsi quoque sunt sponsa Christi. Quanquam hoc de solo cœtu hominum electorum prædicare aperte soleat scriptura.

LVI. Neque Apostolus in cap. 5. ad Eph. de alio connubio loquitur, quam de eo, cuius typus fuit coniugium Adæ & Eux: typus autem fuit eius, quod est inter Christum & Ecclesiam, quæ est cœtus hominum fidelium.

T H E S I S

I.

II.
De causis
efficientibus
matrimonii
spiritualis.

AD causas porro efficientes quod attinet, eas tres esse diximus, nempe triplicem consensum: liberum consensum parentum, liberum consensum sponsi, & liberum itidem & voluntarium consensum sponsæ. In matrimonio quoque nostro spirituali tres consensu non desiderantur.

11. Deus Pater voluit ab omni æternitate, ut Filius, carne nostra in unitatem personæ

næ assumpta, duceret in matrimoniū Ecclesiam, id est, totum corpus Electorum; & vicissim, vt Ecclesia nuberet Christo: & ex duobus fierent vnum corpus vnaq; caro.

III. Voluntatem hanc suam patefecit & declarauit, primū quidem in coniugio Adami & Euæ, tanquam in speculo & figura: vt Apostolus interpretatur Eph. 5. & consequenter in omnibus aliis legitimis matrimoniis.

IV. Patefecit item variis promissionibus de Christo & de Ecclesia in vnum coniungendis: quæ frequentissimæ sunt in libris Mosis & Prophetarum.

V. Neq; aliò spectabat fœdus, quod cum Abrahamo & semine eius ferit, & sæpius porrò renouauit cum Patribus.

VI. Omnium verò luculentissimè testatam fecit suam voluntatem Pater, cū misso Angelo ad Mariam significauit, se velle vt conciperet filium, qui seruaret populum suum, id est Ecclesiam, à peccatis eorum, & regnaret in domo Iacob in æternum, essetq; noster Immanuel: vt fieret vna caro nobiscum, & ita Deus verè nobiscum esset.

VII. Hanc denique voluntatem suam perpetuò patefecit per Euangelii prædicationem: se velle vt nubamus Christo, & fi-

amus vna caro cum illo; caro de carne eius,
& ossa ex ossibus eius.

VIII. Quò spectant sacramenta, Bapti-
smus, & Cœna: quib. in κοινωvία cum Chri-
sto recipimur, & in ea coalescimus. Volun-
tas ergo Patris satis est perspecta.

IX. Filius quoque iam inde ab æterno
voluit idem quod pater: & iisdem planè ra-
tionibus suum patefecit consensum, qui-
bus & pater.

X. Hæc fuit vox filii, ante carnem assum-
tam, ad suam Ecclesiam, *Desponsabo te mihi in
fide, &c.* Osee 2.

XI. In Cantico verò Solomonis pulcher-
rimè hoc cum Ecclesia coniugium descri-
bi voluit. Et in Prouerb. Sapientia æterna,
quæ est λόγος, filius Dei, ait, suas delicias esse,
vt sit cum filiis hominum, id est, cum Eccle-
sia sua.

XII. Tum verò maximè hanc suam vo-
luntatem perspectam omnibus fecit, cum
suscepta carne nostra, factus est homo, no-
bis per omnia similis, excepto peccato. E-
am confirmavit familiari consuetudine,
conuersatus inter nos variis sermonibus,
perpetuis officiis ac beneficiis, neminem
aspernatus, ne meretrices quidè ac publi-
canos, vt omnes ad se per veram pœniten-
tiã & fidè pertraheret, sibiq; incorporaret.

XIII. Quo-

xiii. Quomodo verò clariùs & luculentius suam, hanc voluntatem declarare potuisset, quàm cum voluntariè mortem subiit pro salute Ecclesiæ, & sanguinem effudit, quo lauaremur à peccatis, & in nouam creaturam regeneraremur?

xiv. Tunc enim promeruit & impetrauit Ecclesiæ remissionem peccatorum, regenerationem, æternum coniugium, quò illa fieret vna caro cum ipso: vitam denique æternam in æterno ac cœlesti suo regno illi comparauit. Volo, inquit, vt vbi ego sum, & illi sint, qui credituri sunt in me, id est, qui futuri sunt sponsa mea. Iohan. 17.

xv. Hæc voluntas, qua voluit, quod & pater de hoc connubio, describitur ab Apostolo Phil. 2. vbi hortatur, vt idè affectus sit in nobis, qui & in Christo: qui cum in forma Dei esset, non est rapinam arbitratus esse parem Deo, sed se ipse summisit, factus obediens vsque ad mortem. Et Eph. 5. Sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, &c. mundans eam laacro aquæ in verbo.

xvi. Hanc etiam suam voluntatem quotidie patefacit per verbum Euangelii, & sacramentis obsignat. De voluntate igitur etiam filii, eaquæ liberrima, dubitari non potest.

xvii. Cæterùm hæc filii voluntas duplex est: vna diuinæ, altera humanæ naturæ. Vtrâque autem voluit, & vult, hoc coniugium cum Electis: vnâ voluit ab æterno; alterâ, in tempore, quæ nunquam mutatur: & voluntas est animæ creatæ & finitæ, quæ vnâ cum corpore in cælo est.

xviii. Restat consensus sponsæ: nisi enim ipsa quoque & singuli fideles liberè consentiant in hoc coniugium, firmum & ratum non est.

xix. Est enim coniugium (vt suprâ est declaratum) legitima coniunctio vnus maris & vnus fœminæ, ex libero vtriusque partis consensu profecta atque contracta.

xx. Proinde tunc propriè dicimus contrahi hoc cum Christo matrimonium, cum quisq; sua fide suaq; voluntate consentit tum voluntati patris, mandantis vt Christû pro nostro sponso agnoscamus & amplectamur: tum etiam voluntati sponsi, nos ad se inuitantis, atq; vt vna secum fiamus caro, per Apostolos vocantis.

xxi. Stat enim dictum Filii Dei, *Desponsabo te mihi in fide*, Oseæ 2. Et Iohan. 3. Iohannes Baptista, postquam ostendisset, Christum esse sponsum Ecclesiæ, hortatus est ad fidem in eum, qua scilicet quisque re ipsa ei, tanquam sponso, adglutinetur, viuatque
cum

cum illo vitam æternam. Qui enim credit in filium, habet vitam æternam: qui non credit, ira DEI manet super eum. Et Apostolus, *Despondi vos univiro, virginem castam exhibere Christo.* Quomodo? Per fidem scilicet Euangelii, quo Christus sese nobis in sponsum & servatorem offert.

XXII. Ergo consensus iste necessarius est, ad coniugium hoc cum Christo re ipsa contrahendum. Per fidem enim sumus una caro cum illo: eo que dicitur Christus per fidem habitare in cordibus nostris, Eph. 2.

XXIII. Sed unde nam iste consensus liberæque voluntas? Ab ipso et Patre, qui nos adducit ad Christum: Operatur enim in nobis velle & perficere pro sua bona voluntate. Nam idem etiam effecit, ut in idem coniugium consentirent & Adamus & Eva. Phil. 2.

XXIV. Hic verò consensus non nisi in homine, iam per Spiritum sanctum ut cunque regenerato & vivificato, esse potest.

XXV. A mala enim & prorsus corrupta pravaque voluntate, bonus consensus produci non potest: iuxta illud CHRISTI, Arbor mala non potest bonos fructus facere.

XXVI. Proinde quicumque vera fide donati sunt, in eis fatendum est inchoatam esse

se regenerationem: quæ postea indies, per incrementum spiritus, magis ac magis perficitur. Quid enim homo mortuus valet ad opera vitæ? Credere autem in Christum, & consentire in connubium hoc spirituale, opus est vitæ.

XXVII. Ideo antè quoque dixi, regenerationem, cordisque innouationem, ordine naturæ, in homine priùs inchoari per Spiritum S. quàm vero fidei assensu in hoc cum Christo coniugium consentire possit: quemadmodum & Adamus & Eua priùs creati fuerunt, & anima viuificante præditi, quàm in matrimonium coniuncti.

XXVIII. Hæ itaque sunt causæ spirituales coniugii verè, & per se efficientes, voluntas patris Dei, voluntas sponsi Christi, & voluntarius cuiusq; fidelis consensus.

XXIX. Sed causæ instrumentales sunt ministri Euāgelii: qualis fuit Iohañes Baptista, qui se amicum sponsi vocabat & ad nuptias inuitabat; quales & Apostoli; vnde Paulus, Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.

XXX. Tunc igitur quisque certum habet in se contracti matrimonii testimonium, cum se vera fide in Christum donatum esse sentit; qua consentit in voluntatem patris, vt fiat vna caro cum Christo, iuxta illius verbum.

XXXI. Cæ-

Causæ instrumentales.

xxxI. Cæterùm hîc quoque notandum est, in coniugio requiri certam personæ, cum qua contrahendum est coniugium, cognitionem: Error enim personæ procul abesse debet à coniugio, ne vni, loco alterius, nubas.

xxxII. Est igitur necesse, vt quisque in veri Christi sibi que probè cogniti coniugium, non autem in illius, quem non certò verum esse Christum ex verbo Dei nouerit, consentiat.

xxxIII. Quis autem sit verus Christus, cui nos pater vult coniugii vinculo copulari, sacræ literæ docent: illum esse & verum Deum, patri ὁμοούσιον, & verum hominem, nobis per omnia similem, absq; peccato.

xxxIV. Talem autem Christum, qui corpore constet inuisibili, incircumscrip-
to, vbique præsentem, nullibi nobis proponit scriptura: nec vetus Ecclesia talem vnquam nouit, aut admittere voluit.

xxxV. A' talis igitur Christi coniugio, cui corpus à nonnullis affingitur inuisibile, caueant sibi fideles: & contenti simus tali Christo, qualem nobis proponunt sacræ literæ, qualem pater demonstrauit, dicendo: *Hic est filius meus dilectus*: hic hic scilicet, quē baptizabat Iohannes & supra quem descendit visibiliter Spiritus sanctus in specie columbæ.

XXXVI. Certè Pater non demonstra-
uit talem CHRISTVM, qui corpus habe-
ret inuisibile, nec supra talem descendit
Spiritus, nec talis fuit à Iohanne baptiza-
tus: neque ex tali corpore exiuit sanguis &
aqua, quibus lauemur.

XXXVII. Et Hieronymus ad Pamma-
chium, contra Iohannem Hierosolymita-
num inter hæreses cõnumerat, dicere, cor-
pus Christi post resurrectionem factum es-
se inuisibile.

XXXVIII. Apage igitur tale porten-
tum atque monstrum: & noster sponsus
esto CHRISTVS ὁμοῖος Patri, & ὁμοῖοσι
os matri, nobisque per omnia similis, exce-
pto peccato.

III.
De causa
formali.

IN coniugio spirituali quoque tertio lo-
co considerandam esse diximus caus-
sam formalem, id est, ipsam coniunctio-
nem CHRISTI & Ecclesiæ in vnam
carnem.

De hac vnione, in qua cardo totius hu-
ius tractationis consistit, videnda sunt hæc
quatuor:

PRIMUM, quænam res vniantur? an a-
nima nostra duntaxat, sine corpore, cum a-
nima Christi tantum: an verò etiam caro
nostra cum carne Christi, adeoque tota
per-

persona nostra cum tota persona Christi coniungatur?

DEINDE, si tota persona nostra cum tota persona Christi coniungitur & vnitur: quæritur, cum Christus constet natura diuina, & humana, cum quânam prius coniungamur, cum diuinâne, an cum humana?

TERTIO, qualis sit hæc vnio? substantialisne, an accidentalis, & tantum in phantasia posita?

QUARTO, si realis & substantialis, quomodo modo fiat? an caro Christi inuisibiliter descendat: an quod substantia aëris mutetur in carnem Christi, ita vt hauriendo aërem, hauriamus carnem? an quod sit in aëre realiter, & ita vniatur fidelibus? aut quânam alia ratione?

Ad PRIMVM quod attinet, thesis hæc nostra esto:

I.

NEQUE anima nostra sola cum sola Christi anima, neque caro nostra sola cum sola Christi carne: sed tota cuiusque fidelis persona cum tota Christi persona verè coniungitur, & huius spiritualis coniugii vinculo copulatur ei que adglutinatur.

Questionis
primæ
explicatio.

II. Ratio prima à coniugio Adami & Euæ ducitur. Tota persona Adæ copulata fuit cum tota persona Euæ. Ergo, &c.

Illud enim carnale coniugium fuit huius spiritualis coniugii typus & mysterium: id nimirum inter Christum & inter Ecclesiam spiritualiter futurum, quod inter illos carnaliter factum fuit.

III. Apertè Apostolus docet, quod dictum fuerat, *Erunt duo in carnem vnā*, hoc ad mysterium connubii spiritualis inter Christum & inter Ecclesiam, pertinere, & de Christo atque de Ecclesia intelligendum esse.

Atqui vox *duo*, significat duas personas, duos homines. Est autem Christus vnus homo vnaque persona: & quisque fidelis, alia persona: tota verò Ecclesia, pro vna persona & vno homine accipitur in scripturis, vt suprà visum est, & Apostolus Eph. 2. apertè docet. Ergo in hoc spirituali coniugio, tota cuiusque fidelis persona, anima scilicet & caro, cum tota Christi persona coniungitur, & fit vnum cum illo, vna caro, vnus homo.

IV. Ait etiam contextus Mosis, & ita citatur à Paulo: *Relinquet homo patrem, &c. Et adhaerebit vxori suæ*. Homo autem, nō est tantum anima, nec tantum corpus, sed vtrumque

que simul: neque vxor constat tantum corpore, nec sola anima, sed utroque simul. In hoc vero coniugio spirituali Apostolus nomine viri intelligit Christum, & nomine vxoris, Ecclesiam, ac proinde vnumquemque fidelem. Ergo ut verum sit coniugium, tota persona fidelis cum tota persona Christi coniungatur, & in vnum coalescat necesse est.

v. Hoc etiam præmonstravit Christus ipse, cum factus est homo. Tota enim persona filii Dei assumpsit in sui vnitatem, totum hominem, hoc est, totam humanam naturam, non carnem solam, nec animam solam, sed vtrumque simul. Ergo cum etiam vnitur cuique fidei, totus toti vnitur.

vi. Christus quia sponsus est, ideo etiam caput & seruator Ecclesiae appellatur ab Apostolo: ac proinde, quod vitam ac salutem deriuat in Ecclesiam tanquam in corpus suum, & in singula eius membra. Atqui Christus non est caput, nec seruator Ecclesiae, secundum diuinam duntaxat naturam, neque secundum duntaxat humanam, animam & corpus, sed totus sua deitate, sua anima, & sua carne, caput est nostrum & seruator noster. Neque etiam aut sola fidelis anima, aut solum corpus seruatur à Christo, sed vtrumque simul, id est, totus homo

fidelis: salutis autem particeps nemo fit, nisi per vnionem & coagmentationem cum Christo. Ergo cum toto Christo totus homo in hoc spirituali coniugio copulatur.

Vnio carnis
nostræ cum
carne Christi.

VII. Ac quia præcipua quæstio est non de vnione cum deitate, sed de vnione nostræ carnis cum carne Christi, præsertim dum sumus in hoc mundo, nostraque caro sit in terris, caro autem Christi in cœlis: ideo subdam testimonia peculiaria, de vnione carnis nostræ cum carne Christi. Hoc igitur esto sextum argumentum, continens hæc testimonia:

Apostolus Eph. 5. ait: *Nos esse membra corporis eius, id est, Christi, ossa ex ossibus eius, & carnem de carne eius.* Hoc verò dicit propter coniunctionem, quam habemus cum Christo. Item, Nemo odit carnem suam, sed nutrit & fouet eam. Et hoc intelligit de Christo erga suam Ecclesiam, quòd foueat eam vt carnem suam. Item quod dictum est: *Erunt duo in carnem vnã, de CHRISTO & Ecclesia interpretatur, propter vnionem, quam habet cum CHRISTO.* Intellexit igitur Apostolus, nos non solùm quo ad animam, sed etiam quo ad carnem vniri, non solùm cum deitate, aut cum anima CHRISTI, sed etiam cum eius carne, licet in cœlis sit; vniri, inquam, verè, ita vt
fiamus

fiamus cum illo vna caro. Passim etiam inculcat nomen corporis, dicendo: Nos esse vnum corpus cum CHRISTO: ac de corpore humano loquitur, è cuius capite vita influit in membra. Item ad Cor. ait, nostra corpora esse membra Christi. Tollens igitur membra Christi, faciam membra meretricis? Iohan. 6. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Hæc & alia similia testimonia luculentissimè testificantur, vñionem, quam habemus cum CHRISTO, non esse tantùm animæ cum anima, aut etiam carnis cum deitate, sed carnis quoque nostræ cum carne CHRISTI: non cum illa, quam fingunt hæretici, inuisibili & immensa, & incircumscripta (quomodo enim cum hoc possumus esse vna caro & vnum corpus, cum nulla sit similitudo inter carnem nostram visibilem, finitam, circumscriptam, & inter illam inuisibilem. Non igitur cum hac fictitia carne sumus vna caro cum CHRISTO, aut nostra cum ea coniungitur, sed cum illa quæ in cælo est, nostræ omnino similis, substantiâ & naturâ.

VIII. Patres eandem tradunt doctrinam. Omnium testimonia adferre, superuacaneum est, Constat enim, omnes idem cum

sacris literis sensisse, quod modò diximus: præsertim propter verba Christi Iohan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Item, *Qui manducat carnem meam, in me manet, & ego in illo.* Item propter verba Apostoli, *Panis quẽ frangimus, ^{not-} ^{vovia} est corporis Domini:* id est, ea res est, qua in communionem cum corpore Domini recipimur, & in vnum coalescimus. Proinde Patres omnes ad vnum docent, in Cœna ipsam veram carnem Christi, nempe non quæ ab hæreticis inuisibilis & incircumscrip̃ta esse fingebatur, sed quæ nostræ per omnia similis est, demto peccato, verè à nobis comedi, atque ita comedi, vt toti quãti quanti sumus, coalescamus in vnũ cũ toto Christo, effecti caro de carne eius, & ossa ex ossibus eius. Vnius igitur aut alterius testimonia audiuisse satis fuerit.

IX. Cyrillus in Iohannem lib. 10. cap. 13. apertè scribit, Christum communicatione carnis suæ in nobis habitare, & nos esse mēbra ipsius: idque propter verba, quæ de esu carnis suæ dixit Christus ipse: *Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo:* & statim subdit: *Vnde (inquit) considerandum est, non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse: verum etiam & participatione naturali.*

rali. Sic ille. Quid verò nomine participationis naturalis intelligit? Non certè participationem, quæ fiat modo naturali, sed veram naturalis carnis Christi participationem, qua fiat vt nos verè simus cum Christo vna caro & vnum corpus. Vox ergo, *naturali*, non ad modum quo, sed ad rem quæ participatur, id est, ad naturalem carnem Christi referenda est. Ita refellitur somnium de carne inuisibili: Ideo simili clariùs explicat, dicendo: *Nam quemadmodum, si quis igne liquefactam ceram alii ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtriusq; factum videatur: sic communicatione corporis & sanguinis CHRISTI, ipse in nobis est, & nos in ipso.* Hæc Cyrillus.

x. Simile (vt dici solet) non currit quatuor pedibus. Certum enim est, neque nostrum corpus, neq; etiam Christi, liquefieri vt vniantur simul. Ergo neque est, cur quispiam hinc imaginetur contactum aliquem physicum, quo sicut cera ceræ vniatur, sic caro Christi nostræ vniatur. Disertè enim in eo capite & alibi semper Cyrillus docet, hanc vnionem fieri per fidem: vt cap. 6. Iohan. docetur, & Eph. 3. Apostolus expressit dicendo, Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Christum autem in nobis esse, atque manere, & Christum

habitare in cordibus nostris, idem sunt: Apostolus autem docet, eum habitare per fidem: In nobis igitur etiam est, & manet, & nobis vnitur, eoque & editur per fidem. Quare omnis physicus contactus excludendus est.

XI. Neque etiam ex hoc simili ceræ fingenda est aliqua præsentia corporalis carnis Christi: quasi carni nostræ vniri illa non possit, nisi carnaliter & realiter præsens sit, qualiter etiam cera ceræ præsens est. Hanc enim præsentiam passim oppugnat & expugnat Cyrillus cum aliis Patribus, qui statuunt carnem Christi, seu Christum sua carne in cælo esse, & in cælo manere, in terris autem eodem existendi modo non esse.

XII. Legatur idem Cyrillus in eundem Ioan. lib. II cap. 21. explicans illa verba Christi, Ioan. 17. Cùm essem cū eis, ego seruabam eos in nomine tuo: Nunc autem ad te venio (scilicet in cælum. Pater enim dicitur habitare in cælis) ibi ita scibit CYRILLVS:

Putabant discipuli, absentiam Christi, vt hominis dico (Deus enim vbiq; adest) multorum eis incommodorum caussam futuram, cū non adesset, qui eos ab omnibus posset malis eruere: Sed oportebat eos, qui luminaria orbis postea facti sunt, non solum in carnem CHRISTI, verum etiam in deitatem respicere: que quamuis oculis non cer-
na-

natur, adest tamen semper summa cum potestata: nec quicquam est, quod prohibere possit, quin omnia repleat, & quod velit, peragat. Non enim loco, aut dimensionibus circumscriptibilis natura diuina est: (q. d. nempe sicut humana) subdit: *Quare cum Deus & homo CHRISTVS verè sit: oportuit eos intellexisse ineffabili deitatis potestate vnà cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset. Idcirco enim ipse quoq; in superioribus dicebat, Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; aperte significans, deitatis ratione, non carnis presentia eos posse seruari.*

Hæc omnia Cyrilli sunt: quæ etiam clariùs in sequentibus explicat. Inter quæ & hoc nullo modo prætereundum continetur: Quæ propria Dei sunt, ea non posse ab vlla re præstari, nisi substantialiter Deus sit. Verba eius hæc sunt:

Nulla enim res, quæ propria opera Dei sunt, facere potest, nisi substantialiter Deus sit. Hæc ille.

Esse verò vbiq; præsentem sua substantia, an non proprium Dei est?

XIII. Legatur & caput 22. vbi inculcat, Christum quatenus homo est, absentem à nobis esse: sed solum, quatenus Deus est, esse præsentem, & omnia implere. Ex quib. omnib. luce clariùs apparet, Cyrillum illo simi-

li ceræ, & illa naturali participatione, minimè sensisse, aut docere voluisse, carnē Christi nobis vniri & communicari, per præsentiam corporalem, aut per vllum contactum carnalem, siue visibilem, siue inuisibilem: cum vbique doceat, hoc fieri præsentia spiritali, & contactu spiritali, id est, per fidem, de quo spiritali contactu Christus dixerat, *Aliquis me tetigit.*

xiv. Quid igitur sibi voluit Cyrillus illo simili ceræ? Nil aliud, quàm sicut re ipsa cera incorporatur ceræ, ita vt è duabus vna fiat massa ceræ: sic etiam nos reuera ipsi Christo, adeoque carnem nostram carni Christi incorporari, ita vt è duabus vna fiat caro: iuxta illud, *Erunt duo in carnem vnā*: id quod Paulus de coniugio inter Christum & Ecclesiam interpretatur. Non ergo ad modum vnionis torquenda sunt verba Cyrilli, sed de rebus quæ vniuntur, & quòd verè & re ipsa vniuntur caro nostra & caro Christi, imò nos toti cum toto Christo, intelligenda sunt.

xv. Cæterum, modus spiritalis est, quia fit hæc vnio & incorporatio per Christi spiritum, ac per fidem nostram, vt postea dicemus. Ac rem ita se habere, vt diximus, liquet à scopo Cyrilli, in illo 13. capite libri 10.

Scribebat enim aduersus eos, qui dicebant,

bant, nomine vitis, cuius nos sumus palmi-
 tes, solam Christi deitatem intelligendam
 esse, eoque nos non esse veræ carni Christi,
 sed tantum eius deitati insitos: contra Cy-
 rillus demonstrat, nos veræ carni Christi,
 etiamsi absens sit in cælo, verè tamen & re-
 aliter esse insitos & incorporatos: atq; hoc
 imprimis probat à mysterio Cœnæ, vbi
 Christus veram suam carnem nobis exhi-
 bet edendam, & ait, *Qui edit carnem meam, in
 me manet, &c.* Sed quomodo editur? fide: si-
 cut ibidem Iohan. 6. docet Christus. Non
 enim seiungendus est modus quo editur, à
 modo quo in nobis est: cum ideo in nobis
 sit, quia editur.

xvi. Eandem planè doctrinam tradi-
 dit Hilarius de Trinitate libro 8. paulò post
 principium, cum explicat, Quomodo Pa-
 ter & Filius vnum sint, vnitatescilicet natu-
 ræ & essentiæ. Ibi etiam docet, vnitatem,
 qua fideles erant & sunt vnum in Christo,
 fieri quidem per fidem, sed tamen esse na-
 turalem: nempe quia caro nostra naturalis
 cum naturali carne Christi vnitur: & ita à
 Cœna Domini concludit his verbis, pagina
 141. *De naturali in nobis Christi veritate, quæ di-
 cimus, nisi ab eo discimus, stultè atq; impiè dicimus,*
 (notent hæc verba, qui de carne Christi, &
 de vnione personali, non ex verbis Christi,

disputant) Ipse enim ait, *Caro mea verè est
cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui carnem
meam edit, & sanguinem meum bibit, in me ma-
net, & ego in illo. De veritate carnis & san-
guinis non relictus est ambigendi locus: nunc enim
& ipsius Domini professione, & etiam fide nostra,
verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta
atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, &
Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est?
Continget planè iis verum non esse, qui Christum
Iesum verum esse Deum negant. Est ergo ipse in no-
bis per carnem, & sumus in eo, dum secum hoc, quod
nos sumus, in Deo est.*

XVII. Paulò post hanc vnionem, quam
habemus cum Christo, vocat naturalem, &
probat dicendo: *Quòd autem in nobis na-
turalis hæc vnitas sit, ipse ita testatus est: Qui
edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in
me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit,
nisi in quo ipse fuerit: eius tantùm assumtam in se
habens carnem, qui suam sumserit.*

Liquet igitur etiam ex Hilario, veram no-
stram & naturalem carnem, cum vera ac na-
turali carne Christi coniungi in hoc spiri-
tuali coniugio, de quo differimus.

XVIII. Sic Leo primus scribit: *Hoc enim
agit participatio corporis, vt in id quod sumimus,
hoc est, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est,
transeamus. Hæc ille. Certè Christus factus
est*

est nostra vera & naturalis caro. Ergo nos etiam transimus in naturalem eius carnem, & edimus naturalem eius carnem.

xix. Sed quomodo transimus? nunquid pedibus corporis? siue transferendo hanc carnem in carnem Christi? Minimè verò; sed spiritu & fide. Ergo neq; ore corporis edimus carnem Christi. Eodem enim modo edimus carnem Christi, quo etiam in eam transimus, & quo modo in eo manemus nos, & ipse in nobis: vtrumque enim coniungit Christus, dicendo: Qui edit carnem meam, in me manet, & ego in illo.

xx. Summa verò est, nos, sicut veram & naturalem Christi carnem edimus, sic veram Christi carni vniri. Et contrà, sicut veram & naturali carni Christi vnimur, sic etiam naturalem eius carnem edere. Sunt ἀπὸ σπέρματος hæc.

xxi. Cùm autem vnimur carni & corpori Christi: fimus concorpores (vt loquitur Cyrillus, imò Apostolus ad Eph.) cum illo, & vna caro.

Itaque ex hac doctrina certa & perspicua, refellitur hæresis illa, quæ fuit antiquorum hæreticorum, & à nonnullis reuocari videtur, de carne Christi inuisibili, in circumscripta, vbiq; præsentem.

Neq; enim in hanc transimus, vt loqui-

tur Leo primus: neque cum hac fimus con-
corpores, vt loquitur Cyrillus, & ante eum
Apostolus: neque cum hac fimus vna caro:
neque hęc sumfit Christus in vnitatem per-
sonæ in vtero virginis: neque hęc est cruci-
fixa pro nobis: nec est caro naturalis, similis
nostræ. Ergo neque hanc edimus in Cœna,
neque cum hac incorporamur, sed cum illa
naturali (vt Patres loquuntur) quæ in cælo
est.

X XII. Præterea non vnimur, nisi carni
viuificæ: & hic est finis cur ei vniamur, vt
scilicet per eam viuificati, æternam vitam
viuamus. Caro autem Christi non est viuifi-
ca per se, sed eatenus tantum, quatenus as-
sumpta fuit à Filio Dei in vnitatem personæ.
Quis autem audeat dicere, à Filio Dei as-
sumtam fuisse in vnitatem personæ talem
carnem, quæ cum nostra nullam habeat si-
militudinem? An non hoc fuerit negare λό-
γῳ factum esse verum hominem?

Non igitur parui momenti est hoc pri-
mum caput, quod de vnione cum Christo,
quæ est causa formalis spiritualis coniugii,
explicandum suscepimus.

Quare diligenter retinenda est hęc do-
ctrina; nos totos cū toto Christo, atq; adeo
animam nostram cum anima Christi, & car-
nem nostram naturalem cum carne Chri-
sti

sti naturali, eoq; nostræ per omnia, excepto peccato, simili, in hoc sacro connubio coniungi & incorporari.

QVÆSTIO SECUNDA fuit, cum Christus diuina simul & humana constet natura, Verbo & carne; cum quânam prius, ordine quodam naturæ, coniungatur fidelis, cum humanâne, an cum diuina? Quæstionis
secundæ
explicatio.

Hæc quæstio non sine causa proponitur. Sicut enim quidam (vt ex Cyrillo vidimus) negarunt, nos cum humana Christi natura coniungi, tanquam palmites viti, sed tantum eius deitati insitos nos esse, contenderunt: sic etiam inter eos, qui fatentur cum tota persona Christi nos copulari, non defuerunt qui senserint, nos prius adglutinari diuinæ eius naturæ, & postmodum humanæ; seu prius Verbo, deinde carnî: idque præter alias causas, quod Verbum propius nobis adsit, cum sit vbiq; quàm caro, quæ in cælis est. Sed ratio hæc nulla est. Si hæc vni fieret physica ratione, aliquid haberet coloris: Sed cum fiat per Spiritum sanctum, & per fidem, vt post explicabimus; spiritus autem tam nobis vniat quæ procul distant, quàm quæ prope nos sunt; & Fides etiam tam apprehendat absentia, quàm præsentia: nihil impedit, quin tam possimus carnî

Christi, quàm Verbo adglutinari. Videntum igitur potius est, quo ordine & Deus in scripturis nobis proponat Christum, & fides nostra illum apprehendat: ac proinde cuius prius mens nostra, & per consequens caro nostra, adglutinetur, Verbone, an carni?

THESIS NOSTRA HAEC EST:

I.

Fidelis homo carni Christi prius adglutinetur, & deinde per carnem ipsi Verbo seu τῷ λόγῳ.

II. Ratio à cognitione. Sicut se habet cognitio, mentisq; apprehensio; sic etiam voluntaria vnitio atq; adglutinatio. Voluntas enim sequitur cognitionem, & eatenus aliquid eligit, vult, amplectitur, seq; illi vnit, quatenus etiam illud cognitum ac perspectum habet. Nam semper in bonum, non ignotum, sed cognitum fertur. Atqui Christum in verbo Dei propositum, prius & citius ut hominem apprehendimus & intelligimus, quàm ut Deum. Ergo ordine quodam naturæ, & actionum mentis, ac fidei, priori loco vnimur carni Christi, & per eam ipsius deitatis, eoq; toti eius personæ.

III. Assumptionem facile probamus è sacris literis.

Deus ab initio mundi cum redemptorem

rem promisit, promisit ac proposuit immediate, ut semen mulieris, id est ut hominem. Gen. 3. *Semen eius* (id est mulieris) *conteret caput tuum*. Sic Abraham: *In semine tuo benedicentur Gentes*.

Sic Moses dixit, *Propheta suscitabit de fratribus tuis*. Sic filius ipse sese patribus immediate visendum exhibebat sub forma humani corporis: & postea declarabat se esse Angelum Iehouae Iehouam: sic per Prophetas promissus fuit & propositus prius ut homo, ut semen Davidis, & deinde ut Iehoua.

Ies. 7. primum, *Ecce virgo concipiet & pariet filium*: & secundo: *Et vocabitur Immanuel*. Sic Ier. 23. *Ecce dies venient, & suscitabo Davidi germen iustum*: & post subdit, *Et hoc est nomen quo vocabunt eum, Iehoua iustitia nostra*.

Percurre Prophetas, ac videbis, eodem ordine semper Christum illis fuisse propositum, & per Prophetas Ecclesiae,

Euangelista Matthaeus idem facit.

Primum. n. Christum proponit ut hominem, filium Abraham, & filium Davidis: & tandem citato vaticinio Iesaiæ, eum vocat Immanuel, & interpretatur, dicendo, quod est, Nobiscum Deus. Idem facit Marcus: idem & Lucas, diligenter totam Christi tanquam hominis genealogiam describit: & postea, à miraculis & aliis argumentis demonstrat, eum etiam esse Deum.

IV. Si obiicias Iohannem, qui à deitate incipit, dicendo, *In principio erat, &c.* & tandem subdit de humanitate, dicendo, *Et Verbum caro factum est*: in promptu est responsio, hoc ideo eum fecisse, quia alii Euangelistæ magis in describenda eius humana natura, quàm diuina, occupati fuerant. Nempe vt ostenderent, eum esse illum Messiam, filium Davidis, qui promissus fuerat per Prophetas: ideo Iohannes doctrinâ, quam alii Euangelistæ de natura Christi humana à patribus suscepta, abundè demonstrarant, cōtensus, vno verbo eius incarnationem, demonstrata priùs vera & æterna eiusdè deitate, complexus est.

Cùm tamen de cognitione Christi agit; ostendit, & se, & alios eum priùs nouisse, vt hominem, deinde vt Deum; sic enim ait, *Et habitauit inter nos* (scilicet vt homo) *& vidimus gloriam eius.* Vidimus, id est, nouimus, nempe è miraculis, & aliis testimoniis & effectis.

Et in Epistola idem docet: *Quod vidimus & audiimus, & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ, &c.* Priùs igitur nouerunt eum hominem: deinde Deum.

Apostolus Rom. i. eundem seruat ordinem, atque hunc esse ordinem Euangelii, quod prædicabat, docet, dicendo: *Se segregatum*

gatum fuisse in Euangelium Dei, quod antè promiserat de filio suo. Quali filio? Primum ait, *facto ex semine Davidis secundum carnem* (ecce Christum hominem) *declarato autem filio Dei; secundum Spiritum sanctificationis*: ecce Christum Deum. Accertum est, Christum ideo factum hominem, prius se se declarasse esse hominem: & deinde filium Dei vnigenitum, eoque Deum. Et sic Apostolus 1. Tim. 3. *Deus* (inquit) *manifestatus est in carne*: id est, prius se carnem esse, id est verum hominem, declarauit: deinde per carnem, & in carne sese manifestauit esse Deum, & ideo subdit, *Iustificatus est in Spiritu.*

v. Quare dubium non est, quin iste ordo in Christo promittendo, describendo, proponendo, patefaciendo, seruatus fuerit in sacris literis à Patre, à Prophetis, à Christo ipso, ab Euangelistis & Apostolis: vt primò præcesserit cognitio humanæ ipsius naturæ, deinde secuta sit cognitio diuinæ. Si autem eo ordine cognoscimus Christum, & mens nostra eum apprehendit, quo etiam cognoscendus in sacris literis proponitur: liquidò apparet, in mentem hominis fidelis Christum incurrere prius vt hominem, deinde vt Deum: ac proinde fide etiam nos eius carni, quam priori loco apprehendi-

mūs, prius etiam vniri, & deinde per carnē ipsius deitati.

VI. Nemo vniri potest Deo, nisi per mediatorem. Etsi verò Christus mediator est non solùm, quā filius hominis est verusq; homo, sed etiam quā filius Dei est, Deus verus de Deo vero: illud tamē, per quod Christus factus est mediator, & in quo præcipua mediatoris officia perfecit, & quo se mediatorē nostrum esse declarauit, est humana natura, in vnitatem suæ personæ assumpta.

VII. Ideo ab hac parte præcipua Apostolus dixit, *Mediator Dei & hominū, homo Christus Iesus*. Quo in loco vocat *κατ' ἐξοχήν* Christū mediatorem, *hominem*; quia in humana carne perfecit officia mediatoris.

VIII. Sicut ergo nō vnimur Deo, nisi p̄ mediatorē: sic neq; deitati Christi, nisi p̄ eius carnē, in qua officio mediatoris pfūctus est.

IX. Pertinent ad hoc argumentum ista dicta: *Nemo venit ad patrem nisi per me. Ego sum via, &c.* Item Philippo dicenti, *Ostende nobis patrem*, respondit: *Qui videt me, videt & patrem*. De se loquebatur, quatenus homo erat, humana videlicet natura in vnitatem diuinæ τῆς λόγῃ personæ assumpta, in quo homine, tanquam in speculo, tota patris natura & bonitas resplendebat.

X. Ergo in deitatem etiam Christi, quæ vna

na

na & eadem est cum deitate patris, penetrare non possumus, nisi per eius carnem.

x i. Sicut nemo ascendit ad Deum, Deoq; vnitur, nisi per mediatorem Christū, adeoq; per eius carnem, vt modò ostensum est: sic etiam Deus nil nobis cōmunicat, nisi per eundē mediatorē, adeoq; per eius carnē. Et ratio est, quia etiam in eius carne redemptio facta est, deletū peccatum, victus Diabolus, superata mors, comparata vita aeterna.

x ii. Etsi igitur tota salus, & vita pendet à deitatis plenitudine, quæ est in Christo: interim tamen nobis non comunicatur, nisi in carne, & per carnem Christi. Ideo CHRISTVS, *Nisi manducaueritis, inquit, carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Item, *Qui edit carnem meam, & c. in me manet, & c.*

x iii. Deitas enim est ceu fons, vnde fluunt omnia bona, vita & salus: sed caro atq; humanitas est ceu canalis, per quem ad nos deriuantur omnia hæc bona omnesq; gratiæ.

x i v. Nisi quis igitur canalem hunc apprehendat, eiq; vniatur: aquarū certè quæ è fonte profluunt, particeps fieri non potest.

x v. Ad hoc argumentum pertinent ea, quæ Apostolus Rom. 5. tradit, dicendo, *Sicut per vnum hominem peccatum, & c. sic per vnum hominem iustitia redundauit in multos.*

xvi. Est quidem iustitia illa, iustitia (vt Apostolus loquitur) Dei; quia & illius est, & ab eo est, qui verus est Deus. Sed non nisi per hominem, perque eius carnem fidelib. communicatur. Sic illud I. Cor. 15. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Item illud, *Caro mea verè est cibus.* Item, *Sanguis eius mundat nos ab omni peccato.* Item, *Lauit nos in sanguine suo.* Et alia iis similia.

xvii. Certè per carnè Adami corruptam propagatum est peccatum, & mors: sic igitur etiam per carnem Christi sanctificatã, & æternæ deitatis inseparabiliter in vnitate personæ vnitam, iustitia & vita nobis communicatur.

xviii. Deus non solitus erat dare sua responsa, nec preces exaudire, nec suam gratiam communicare, nisi ex arca fœderis, & per arcam eamque visibilem, perque illud visibile propitiatoriũ. In arca verò latebant mysteria.

xix. Christi caro arca est, in qua inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter: per eam & ex ea nobis omnia cœlestia bona exhibentur, communicantur.

xx. Sicut ergo oportebat populum ad visibilem arcam accedere, & inde gratias Dei expectare: sic gratiam Dei nemo speret, nisi ad Christum accedat hominem visibilem,

lem, eiusq; visibilem carnem edat, & sibi incorporaret per fidem.

XXI. Quare luce meridiana clarius est, non posse hominem deitati Christi vniri, nisi eius humanitati & carni adglutinetur. Est enim caro Christi organum deitatis, sed inseparabiliter in vnitatem personę assumptum atque coniunctum.

XXII. Tota hæc doctrina in Sacramentis, tanquam in lucidissimis speculis, relucet.

XXIII. Duo sunt in sacramento quolibet: visibile signum, & inuisibilis gratia: res terrena, & cœlestis. Qui fide accedit, vtrumque accipit.

XXIV. Sed quo ordine? Quo etiam proponuntur à Deo: per signum rem signatam percipimus: & per rem terrenam, rem cœlestem: nam Deus etiam per vnã offert alteram.

XXV. Vt ergo prius ordine quodam dispensationis diuinæ, percipitur signum & deinde in signo, ac per signum, res signata: sic carni Christi visibili prius vniri oportet, ac per illam porrò illius deitati, si particeps gratiæ illius fieri velis. Ioan. 6. Qui edit carnem, &c. Item, Nisi manducaueritis, &c.

XXVI. Hinc etiam refellitur delirium illud de carne inuisibili,

Ut quis vitam habeat in seipso, is edat
 carnem Christi, illam inquam carnem, quæ
 in unitatem personæ assumpta fuit, necesse
 est. Nam nulla alia est viuifica: & hæc etiam
 non alia ratione est viuifica, quam quia &
 quatenus in unitatem personæ *τῷ λόγῳ* as-
 sumpta fuit. Atqui caro inuisibilis, &c. non
 fuit assumpta, &c. alioqui Christus non esset
 verus homo, nobis per omnia similis, &c.
 Ergo, &c. Quare facessat à nobis hæc con-
 ficta & inuisibilis caro: & ne locum ei de-
 mus oportet; & veræ ac visibili vniamur,
 per quam solam omnes cœlestes thesauri,
 salus & vita, nobis communicantur.

Vsus huius doctrinæ exiguus non est.
 Est autem hic: Ut in exercitio fidei & pieta-
 tis, oculos mentis defigamus immediatè
 & imprimis in humanam carnem Iesu Chri-
 sti, tanquam in velum, per quod in Sancta
 sanctorum, vbi gloria Dei refulgebat,
 fiebat ingressus: & deinde ad con-
 templandam eius deitatem
 ceu in Sanctuarium i-
 psam penetre-
 mus.

QVÆ-

QVÆSTIO TERTIA.

Qualis sit hæc unio?

Quæstio hæc pendet ex superioribus. Aduersus verò duo hominum genera proposita est. Primùm aduersus eos, qui putant unionem hanc non esse veram & realem, sed tantùm imaginariam, quòd scilicet non fiat nisi quadam mentis apprehensione, sicut etiam reliquas res & substantias phantasia & mente per species intelligibiles comprehendimus, & in mente habemus, non autem quòd re ipsa nobis unitæ sint. Alterum genus hominũ est, qui unionem hanc non alia ratione veram & realem esse concedunt, quàm quia fiat participatione spiritualium donorum & gratiæ Christi, absque communicatione substantiæ carnis Christi: quemadmodum etiam fit unio nostri cum igne, vel cum sole, sola caloris participatione. Aduersus vtramque sententiam, hæc nostra esto ad propositam quæstionem thesis.

T H E S I S I.

VNIO nostri cum Christo, & Christi nobiscum, essentialis ac substantialis est, vera atque realis.

I. Substantialis quidẽ, quia substantiæ ipsæ carnis Christi, & carnis nostræ, perso-

næ Christi & personarum nostrarum vniuntur: non autem quòd fructus tantùm è Christo à nobis percipiantur, cùm percipi non possint sine perceptione substantiæ ipsius Christi.

III. Veram autem & realem vocamus, quòd nō sola imaginatione, sed re ipsa cum Christo vniamur: & vniti, in vnum corpus magis ac magis coalescamus: verùm non physico, sed spiritali & supernaturali modo, vt postea dicemus.

IV. Totum hoc liquet, primùm à simili coniugii carnalis, quo vtitur Apostolus: Erunt duo in carnem vnam. Substantialis certè est vnio viri & vxoris, quia personæ duæ vniuntur. Est autem vera & realis, quia in vnā verā carnē vniuntur, & semper sunt reuera vna caro: quomodo? ratione vinculi coniugalis, quo ex Dei ordinatione diuincti sunt.

V. Ex quo simili illud quoque colligitur: licet caro Christi in cœlo sit, & nostra in terris: hac tamen locorum distantia veram ac realem nostræ cum illius carne coniunctionem minimè impediri. Quemadmodum etiam licet vir sit in foro, vxor autem domi, hoc locorum interuallo non impeditur, quin semper sint vniti in vnam carnem, adeoque vna sint caro,

VI. SECUNDO, clariùs etiam hanc essentialem & veram realemque vnionem explicat Apostolus alio, quo vtitur, simili, in eodem capite 5. & alibi sæpius, simili scilicet capitis & membrorum, Christum ait esse caput Ecclesiæ, nos eius corpus ac membra. Vnio certè membrorum cum capite, & inter se, substantialis est, vera ac realis.

VII. Ex quo etiam intelligimus, fructus passionis Christi, donaque & gratiam eius percipi à nobis non posse, sine reali participatione carnis ipsius Christi. nam neque membra motum, vitam, succum & alimentum capere possunt, à capite auulsa.

VIII. TERTIO, idem confirmatur simili fundamenti viui, & lapidum itidem viuorum, fundamento superstructorum: qui propter realem & verè substantialem cum fundamento coniunctionem incrementum semper accipiunt, donec crescant in templum sanctum, in Domino.

IX. Quò spectat quòd Christus quoque non semel vocauit se fundamentum, supra quod ædificet Ecclesiam suam: Matth. 16.

X. QUARTO, hanc idem Christus realem coniunctionem & incorporationem expressit simili vitis & palmitum. *Ego sum vitis* (inquit Iohan. 15.) *& vos palmites. Sicut palmes non potest ferre fructum à semet ipso, nisi man-*

serit invite: ita nec vos, nisi in me manseritis.
 Quid etiam hoc simili clarius, quàm nos
 verè ac realiter Christo insitos esse?

Rom. II.

XI. Quò pertinent quæ etiam Apostolus
 scribit ad Rom. de olea & ramis illi insitis.

XII. Eadem doctrina inde confirmatur,
 quòd Christus hanc vnionem expressit ver-
 bo manducandi carnem suam, & bibendi
 sanguinem suum. Iohan. 6. *Qui manducat me-
 am carnem.*

An non substantialiter & realiter vni-
 tur cibus & potus illi, qui edit & bibit? Ita
 certè vsq; aded, vt vna fiat substantia ex cibo
 comesto, & ex edente cibum: nec vitam ad-
 ferre possunt cibus & potus, nisi realiter
 comedenti & bibenti vniantur sua substãtia.

XIII. Hinc Cyrillus & alii Patres dixerunt,
 Christum corporaliter & naturaliter in no-
 bis inhabitare. Quæ dicta quomodo sint in-
 telligenda, paulò antè declarauimus: nem-
 pe non de modo, quo Christus in nobis ha-
 bitat, quasi modo naturali & carnali in no-
 bis sit, sed de re cui nos vnimur. Vnimur e-
 nim vero & naturali corpori Christi, & qui-
 dem vnione vera & reali: sed per Spiritum
 & fidem.

XIV. Voluerunt enim concludere Patres,
 nos fideles non solùm consensu voluntatis
 & habitudine quadam (vt hæretici dicebãt)

vniri

vniri deitati Christi, sed etiam naturali eius carni & corpori: & inde carnē nostram nutrirī ad vitam æternam.

xv. Dicebant. n. hæretici, carnem Christi post resurrectionē non esse amplius necessariā, peracto iā in ea redētionis mysterio: ac proinde cū nulli amplius sit nobis vsui, ideo eā vel euauisse, vel in deitatem mutatam esse.

xvi. Cōtrā Cyrillus, & alii patres, perpetuū esse illius vsum demonstrarunt, ex verbis Christi in primis Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnē filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

xvii. Christum igitur retinere suā naturalem carnem, eiusq; vim ac ceu imaginē imprimere carni nostræ, comunicata nobis eius sanctitate, qua fiamus caro de carne eius, & ossa ex ossib. eius: nostram itē suæ per Spiritū S. inferere, & ita nostram viuificare per suā: nihil itē nobis ad salutē comunicari à patre, nisi per carnem Christi, nobis verè & realiter comunicatam; idq; maximè euicerunt ex mysterio Cœnæ Dominicæ.

xviii. Sicut enim realiter & verè panis vnitur nobis illum edentibus: sic etiam verè & re ipsa nobis vniri carnem Christi, illam manducantibus.

xix. In modo tamē magnū est discrimē; quia cibus corporalis & ore corporali editur.

& corporali ratione nobis vnitur: sed spiritaliter & edimus, & nobis incorporamus, nosque illi adglutinamur, per fidem scilicet, & per Spiritum sanctum. Sic Patres docuerunt.

xx. Ex iis tum sacrarum literarum locis atque similibus, tum Patrum testimoniis, liquere arbitror, vnionem nostri cum Christo, & essentialem ac substantialem, & veram atque realem esse, ita vt verè fiamus concorpores ipsius: quia duo sunt in carne vnā, Christus sponsus, & Ecclesia sponsa.

xxi. Quo etiam ex loco denuò refellitur commentum de inuisibili & impalpabili carne Christi. Non enim Ecclesia fit vnū cum hac carne, sed cum illa naturali, quæ in cœlo est. Vir adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carnem vnā. Id est, Christus sua illa naturali carne adglutinatur Ecclesiæ, & singulorum fidelium carni, & ita è duobus fit vna caro, vi huius coniugii. Non potest igitur caro sponsæ sua substantia dissimilis esse carni sponsi sui, si sunt vna caro.

xxii. At qualis similitudo esse potest inter carnem nostram visibilem, & inter illam imaginariam carnem inuisibilem?

Ergo ex eo etiam, quòd vnio nostri cum Christo est substantialis & realis, euincitur,
vnio-

unionem nobis nullam esse, nec esse posse cum hac carne inuisibili: sed tantum cum illa, quæ nostræ similis naturâ & substantiâ, nostram quoque sibi similem fecit sanctitate & iustitia.

Atq; hæc de questione tertia: sequitur quarta & vltima, de modo, quo fit hæc unio.

Quia hæc unio fit ad prædicationem Euangelii, in Baptismate, & in Cæna Domini: ideo variè etiam ad quæstionem hanc responsum est: Omnes ad prædicationem Euangelii fieri per solam fidem, fidem, inquam, efficacem, confitentur: neque etiam de modo, quo fit in Baptismate, multum disputatur: sed de modo, quo unimur carnî Christi, & caro Christi nobis in Cæna, quanta sit altercatio inter eos, qui Christum profitentur, nemo est qui nesciat.

Pontificii volunt, præter fidem uniri etiam corporali & verè physico modo: quia aiunt, substantiam panis mutari in substantiam corporis Christi; & ita, sicut accidentia panis & vini percipiuntur ore, & traiciuntur in ventriculum, sic etiam unâ cum illis percipi ore corporis ipsam veram corporis Christi substantiam.

Qui Lutherum sequuntur, eodem etiam modo percipi docent: quanquam enim non concedant μετασίσιν, defendunt tamen

συνουσία. Itaq; nō possūt aliter docere, quā ore etiam corporis percipi: ac proinde hāc vnionē corporaliter, id est, corporali modo fieri, id quod confirmare etiam nituntur, præter alia argumenta, quibusdam Patrum dictis, sed contortis ac perperam intellectis: vt illo dicto Cyrilli in Ioānem, de quo supra: quē sequuti sunt & alii patres: Christum habitare suo corpore in nobis, naturaliter, corporaliter, participatione naturali. Imò Vbiquitarii inde suam etiam Vbiquitatem probare conantur. Sed quā turpiter abutantur iis dictis, inde liquet.

PRIMUM, quia apertè & cōstanter docent Patres omnes, Christum secundū carnem in nobis non habitare, sed secundum suam deitatem, id est, non præsentia carnali, sed præsentia suæ deitatis. Item, *Per id quod homo est, in cælo tantū esse; per id autem quod Deus est, nobiscum esse in terris vsque ad consummationem seculi.* Et semper absentia corporis CHRISTI opponunt præsentiam Spiritus ipsius ac deitatis. Ita obuiam occurrūt Patres legenti. Nunquā igitur intellexerunt, carnem Christi hīc in terris, naturaliter & corporaliter, id est, naturali & corporali modo, nobis vniri.

DEINDE, loca scripturæ, quibus Patres illi vtuntur ad suam locutionem de naturali

li vnione cum Christo confirmandam, aperte docent, quo sensu Patres sic loquuti sint. Loca sunt Ioan. 6. Qui manducauerit meam carnem, &c. Ibi autem expressè Christus de modo per fidem egit, & carnalem manducationem damnauit.

Locus etiam est Ioan. 15. *Ego sum vitis, &c.* ibi itidem de modo per fidem.

Locus etiam I. Cor. 10. de *κοινωνία*. Atque ibi docet Apostolus, eandem *κοινωνία* nos habere cum toto corpore Ecclesiae, quam etiam cum capite Christo. Certum autem est, nos non esse inter nos corporali modo vnitos.

TERTIO idem liquet, quia tam in Baptismate, quam in Cœna docent Patres nobis vniri Christum, eiq; nos incorporari.

Liquet autem, ibi non fieri hanc vnionem modo corporali.

DENIQUE ab illis, aduersus quos sic scripserunt, idē liquidò constat. Scribebāt non aduersus eos, qui sola fide Christum apprehendi & percipi docerent, sed aduersus Eutychianos, qui carnem Christi post resurrectionē aut euanuisse, aut à deitate absorptā fuisse cōtēdebāt, quòd nulli iā illa nobis esset vsui: eoq; nos cū sola eius deitate cōiungi, & ea sola illum in nobis habitare dicebāt. Cōtrā, Patres docuerūt, Christū suam reti-

nerere carnem, nosque cum illa vniri, & eam Christum in nobis habitare, sed nexu spiritus & fidei: cæteroqui totus Christus inhabitat. Eph. 3.

Quod igitur dixerint, Christum in nobis naturaliter & corporaliter habitare: illud non ad modum, quo, sed ad rem, quæ percipitur, & qua Christus in nobis habitat, referatur oportet: suo scilicet naturali & vero corpore.

*Ad questionem igitur nostra hæc
esto thesis:*

I. **V**Nio, qua nos nostra carne & anima cum carne Christi, adeoque cum Christo in vnâ carnem vnimur & conglutinamur, fit per Spiritum sanctum & fidem.

II. Ut hoc rectè intelligatur, reuocandum est in memoriam, quod supra diximus de causa coniugii efficiente: diximus enim contrahi propriè ex consensu vtriusque partis: coniugium autem diximus esse ipsam maris & fœminæ coniunctionem, qua duo fiunt in vnâ carnem, seu vna caro. Christus suum consensum nobis efficaciter patefacit, suum spiritum in corda nostra infundendo. Per hunc enim efficit, ut sentiamus, eum reuera velle, idque ex Patris

tris

tris etiam voluntate, nostrum esse spon-
sum, eoque caput & *caput* nostrum.

III. Nos verò per fidem, in nobis à Spi-
ritu sancto excitatam, vicissim in hoc cum
Christo coniugium consentimus.

IV. Ac sicut ille per Spiritus sui commu-
nicationem sese nobis vnit, sic nos per fi-
dem illi adglutinamur. Hoc igitur est, quod
dixi, vnionem hanc fieri per spiritum (re-
spectu Christi) & per fidem (respectu no-
stri.)

V. De spiritu ait Ioan. in epistola cap. 4.
*Per hoc scimus Christum in nobis esse, ex spiritu
quem dedit nobis.* Ergo per spiritum suum
Christus sese nobis adglutinat, & in corda
nostra insinuat: perque eundem spiritum,
manifestaque Spiritus effecta, nos cogno-
scimus, illum in nobis esse, & nos in sui *no-
vovlav* assumisse. Et Rom. 8. Qui non habet
spiritum Christi, hic non est eius. Fimus i-
gitur Christi, nempe sponsi, membra, & ca-
ro de carne eius, per spiritum, quo sese no-
bis, & nos sibi incorporat.

VI. De fide ait Apostolus Eph. 3. Christum
habitare in cordibus nostris per fidem. Er-
go etià per fidem à nobis recipitur in cor-
da nostra, nosque illi vnimur. Et Iohan. 6.
Qui edit carnem meam, & bibit sangui-
nem meum, in me manet, & ego in illo. E-

ditur autem & bibitur per fidem, sicut ibidem explicat Christus, dicendo: Qui credit in me, non sitiet in æternum. Christo igitur unimur per fidem.

VII. Quare siue in Verbo proponatur, siue in Baptismate, siue in Cœna: Christus semper per Spiritum suum perq; nostram fidem nobis vnitur, & nos ipsi.

VIII. De Baptismate sic ait Apostolus, *I. Cor. 12.* *Etenim per vnum Spiritum, ἐν ἐνὶ πνεύματι, omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.* Ergo Christo incorporamur in Baptismate, fimusque eius membra, vi Spiritus sancti.

IX. De Cœna subdit ibidē, *Et omnes (subaudi ἐν τῷ αὐτῷ, ἐν ἐνὶ πνεύματι) vna potatione potati sumus in vnum Spiritum.* Quid sibi vult, *in vnum Spiritum?* Id est, vt omnes, sicut vnum corpus sumus in Christo, sic etiam vno eodemq; Spiritu viuamus. Ergo vi eiusdem Spiritus sancti bibimus in Cœna sanguinem Christi, & cum illo in vnum coalescimus, & Spiritu ipsius viuificamur.

X. Sicut enim vnâ & eâdem animâ omnia membra corporis vniuntur cū capite & viuificantur: sic omnes fideles, licet in terra sint, & caput in cælo, cum illo tamen reapte per vnum & eundem Spiritum vniuntur, vnitiq; manent & viuunt.

XI. Neq; aliter docuerunt Patres omnes:

Au-

Augustinus tractatu 50. in Iohan. col. 368. a. Audiant (Iudæi) & teneant Christum, qui sedet ad dextrā Patris in cælo. Respondet: Quem tenebo? absentē? Quomodo in cælū manū mittā, vt ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde: quoniam Christus absens etiam præsens est. Nisi præsens esset, à nobis teneri non posset. Explicat autem multis Augustinus, Christum absentem esse carne, præsensem autem maiestate.

XII. Cùm igitur luce meridiana clarius sit, spiritu & fide recipi à nobis Christū, carnē eius & sanguinem, adeo que nos rotos toti Christo adglutinari, & vnā fieri carnē, ita vt neq; aduersarii nostri hęc vnionis rationē oppugnare audeant: nos hac cōtenti aliam non quæremus; quia neq; in scripturis alia traditur, & hęc vnica ad salutē sicut necessaria est, sic etiam omnium consensu satis est.

XIII. Ex quib. omnibus liquet, vnionem hanc, si res, quæ vniuntur, & veritas vnionis spectentur, essentialē ac realem esse: Si verò modum, quo fit, consideremus, esse spirituale.

XIV. Hinc etiam refellitur dogma illud impium de carne inuisibili, vbiq; præsente. In hunc. n. finem hęc finxerūt carnē, vt possit à nobis ore etiā corporis percipi: sed hoc est superuacaneū. Cùm enim illa vera & na-

naturalis caro, quæ in cælo est, verè à nobis percipiatur, nobisq; vniatur per Spiritum Christi, perque fidem nostram, ut omnes fatentur: quorsum hæc altera inuisibilis & vbiq; præsens? Nempe ut ore etiam, scilicet corporis, percipi queat.

xv. Immo verò, ne ore quidem corporis percipi tota poterit ab vno fidei. Neque enim fidelis vnus vbiq; est, ut totam hanc carnem vbiq; præsentem deuorare possit: Sed particula vna ab vno, & alia ab alio accipietur.

xvi. Eodem argumento refellitur opinio de transubstantiatione, & de *συνουσία*.

Cùm enim accipiatur spiritu & fide, idq; ad salutem, non solum in verbo Euangelii, sed etiam in Baptismate, & in Cæna: superuacanea est & *μετουσία*, & *συνουσία*. Cur igitur turbant Ecclesias, & digladiantur de re ad salutem non necessaria?

Ac de tertio capite satis: in quo de caussa formali huius spiritualis coniugii, hæc quatuor quæstiones explicatæ sunt: I. Quænam res vniantur. Secunda, cuinam rei prius vniamur, deitate Christi, & per illam carni, an verò potius carni primùm, & per illam deitati. Tertia, qualis sit hæc vnio. Quarta, quomodo fiat.

III I.

CAUSSAE FINALES SPIRITUALIS coniugii.

I. **T**RES esse diximus fines instituti carnalis matrimonii : Vnum, ne homo solus esset sed haberet adiutorium sibi simile, & ita felicem duceret vitam: Alterum, vt inde suscipere posset sobolem. Tertium, vt post peccatum vitari possint omnes vagæ libidines & fornicationes.

II. Hosce omnes fines contemplari licet in coniugio spirituali inter Christum & Ecclesiam. Primus finis fuit, quia non fuit bonum, neque Christo, vt esset solus sine Ecclesia: neque Ecclesiae, vt esset sola sine Christo: quemadmodum neque capiti expedit, vt sit sine corpore; neque corpori, vt sit absque capite.

III. Fuerat autem iam inde ab æterno destinatus ad hoc Christus, vt esset caput Ecclesiae, & illam regeret, viuificaret, seruaret, cumq; illa viueret in æterna felicitate: Et vicissim Ecclesia prædestinata fuit, vt esset corpus Christi, ab ipso regeretur, viuificaretur, æternaque vita donaretur.

IV. Ergo tum propter bonum Christi,

quia hoc ad eius gloriam pertinebat, ne solus iste homo viueret in cœlo; tum propter bonum Ecclesiæ, quia hoc erat illi ad æternam salutem necessarium: DEVS Pater creauit Ecclesiam è latere CHRISTI, in cruce dormientis, id est mortui, eo sensu, quem initio huius Tractationis explicauimus, eamque dedit in matrimonium filio: ut simul felicissimi in cœlesti gloria æternum viuerent.

1. Cor. 15.

v. Pertinent huc, quæ Apostolus scribit ad Cor. de resurrectione Christi, & totius Ecclesiæ per Christum, ad æternam felicitatem. Postquam enim subiecta fuerint Christo omnia, tum subiicietur & ipse cum toto suo corpore, id est, cum Ecclesia sponsa sua, Patri, ut sit Deus omnia in omnibus.

Eph. 5.

vi. Gloria igitur Christi, & salus Ecclesiæ, fuit primus finis huius coniugii. Et idcirco eam diligit, & quotidie purgat & lauat, ut tandem eam sibi sistat gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut tota sit sancta & inculpata: & ita ambo feliciter uiuant in cœlo.

vii. Alter finis fuit, & est, ut ex semine Christi sponsi, id est, ex verbo & spiritu, per ministerium atque adiutorium sponsæ, numerosissima & formosissima proles generare-

raretur, quæ hæres esset regni cœlorum.

viii. Si sunt omnes fideles, quatenus in vtero Ecclesiæ, & per eius ministerium ex femine spiritali & incorruptibili concipiuntur, & per lauacrum regenerationis, & per renouationem Spiritus sancti nascuntur filii Dei.

ix. Neque enim hoc absurdum est, quòd iidem fideles diuersis respectibus, & sponsa Christi vocentur, & filii Dei, eoquæ & proles Christi, atque Ecclesiæ.

x. Quatenus quisque ex Spiritu Christi in Ecclesia, & per eius ministeriū regeneratur, nasciturq; filius Dei, eatenus proles est Christi & Ecclesiæ. Quatenus verò per fidem adglutinatur Christo, ad excipiendum illius spirituale semē, verbum ac Spiritum, & ad proferendos fructus bonorum operum, quibus alios Christo lucrifaciat; eatenus sponsa est.

xi. Apostoli omnes, & doctores ac pastores, primùm proles fuerunt Ecclesiæ; quia per ministerium Ecclesiæ, nati sunt ex Deo, & filii Dei effecti: quatenus verò per ipsorū ministeriū, alii itidem renati sunt ex aqua & Spiritu S. eatenus sponsæ fuerūt Christi, & ceu matres aliorū fideiū: & ita se vocat ceu matrem Galatarum, Apostolus, dicēdo, Fi-



lioli, quos iterum parturio, &c. Et ad Cor. In Christo ego vos genui.

XII. Ita tota Ecclesia, quatenus singuli fideles in ea, & per eius ministerium, regenerantur, aluntur, reguntur, appellari solet mater nostra: vnde & Apostolus Gal. de sublimi Hierosolyma, id est de Ecclesia, quæ ceu de cælo venit, loquens ait, Quæ est omnium nostrum mater, &c. Sic enim locum illum de Ecclesia non pauci interpretantur.

XIII. Liquet igitur, absurdum non esse, eosdem fideles, propter diuersos respectus, & sponsam Christi appellari, & prolem.

XIV. Quare etiam constat, alterum finem huius spiritualis coniugii esse, vt per ministerium sponsæ, spiritualis proles quotidie generetur in Ecclesia.

XV. Quanquam est etiam aliud prolis genus, ad quod coniugium hoc institutum est: nempe proles bonorum operum. Ideo enim tanquam sponsa, quisque adglutinatur Christo per fidem, & Christus cuique nostrum per suum Spiritum, tanquam sponsus: vt excipientes spirituale illius semen, prolem spiritualem edamus in lucem, hoc est, fructus Spiritus & bonorum operum proferamus.

XVI. Non enim vult verbum & gratiam suam

suam in nobis Christus otari, sed incrementum capere, & per bona opera foras ad gloriam Dei & ædificationem Ecclesiæ proferri.

xvii. Quò pertinet & illud 2. Cor. 6. Obsecramus, ne gratiam Dei in vanum (seu frustra) receperitis : Nulla in re præbentes offensionem.

xviii. Tertius finis fuit, & est, ut omnis fornicatio vitetur.

xix. Est autem duplex fornicatio : vna specialis, altera generalis. Specialis, est omnis idololatria, fornicatio scilicet cū idolis, & cum diabolis, de qua passim apud Prophetas.

xx. Generalis, est quoduis peccatum, quo deficiamus à Deo, & cum creaturis scortamur. De quo genere fornicationis, Psalmo 73. Perdidi omnes, qui fornicantur abste. Qui enim non persistunt in obedientia mandatorum Dei, sed depereunt creaturas, & Deo neglecto, cor suum in illis collocant, illi dicuntur fornicari à Deo.

xxi. Vtroq; autem genere fornicationis peccant, quicumque per veram fidem Christo incorporati non sunt.

xxii. Vtrunque verò tollitur, vera cum Christo sponso vnione, & sancta conglutinatione. Qui enim manet in Christo, Spiri-

tum semper ab illo haurit, quo retinetur, ne seruiat Diabolo, peccato, & concupiscentiis eius: sed vt solum Deum colat, eiusque voluntati faciendæ studeat.

XXIII. Quò pertinet illud Christi ad discipulos Ioh. 15. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes nõ potest ferre fructũ à semetipso, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, & vos palmites: qui manet in me, & in quo ego maneo, is fert fructum multum: quoniam sine me nihil potestis facere.

XXIV. Ex hoc loco manifestè apparet, vnionẽ hanc cum Christo, seu coniugium hoc spirituale, in hunc finem institutum fuisse, vt omne fornicationis genus vitare, & contrà, fidem & obedientiam Deo seruare possemus.

XXV. Ac certum est, ita sese gerere omnes, qui verè hoc sancti coniugii vinculo, Christo incorporati sunt. Reguntur enim à Spiritu Christi, ne ambulent secundũ carnem, sed secundum spiritum.

XXVI. Quid igitur de illis sentiendum est, qui in omni fornicationis genere perpetuò viuunt? Sponsæ Christi certè non sunt, eoq; neque Ecclesia, nec vera Ecclesiæ membra. Atq;
hæc de caussis finalibus.

V. Se-

V.

Sequitur quinto loco de officiis viri & uxoris, quibus tum matrimonium ipsum integrum illibatumque conseruatur, tum coniuges feliciter inter se viuunt.

I. Diximus, horum officiorum quaedam esse vtriusque partis communia, quaedam cuiusque propria.

I I. Communia esse, mutuam fidem, mutuumque amorem.

III. Propria viri ad hoc caput contrahi, vt tanquam caput sapienter imperet, iuste dominetur, vxorē regat, foueat, nutriat, tueatur, seruet tanquam propriā carnē, multaq; ei, tanquam infirmiori vasculo, condonet.

IV. Propria verò uxoris esse, vt virum tanquam suū caput, dominū, & seruatorē metuat, reuereatur, obseruet, subiecta ei maneat, ab eo eiusq; ore pendeat, sinat se regi, ei non responset, sed simpliciter obediat in domino, modesta, lenis & quieta: sic. n. docet Apostolus, tum cap. 5. ad Ephes. tum I. Tim. 2. tum etiam Petrus epistolæ I. cap. 3.

V. Ad Christū quod attinet, quid in eo desiderari potest officii, quod nō prestitit, sempq; prestat? Dilexit, inquit Apostolus, Ec- Eph. 5.
clesiā, & seipsū tradidit pro ea, vt eā sancti-

Rom. 3.

2. Tim. 2.

ficaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt sifteret eam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, nec aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Item, Is est, qui salutem dat corpori. Item, Nutrit & fouet eam, vt carnem suam. Fidem certè seruat toti Ecclesiæ, & singulis veris eius membris, etiamsi non omnes, qui in ea sunt, seruent. Nunquid infidelitas eorum fidem Dei euacuauit? Item, Si increduli sumus, ille tamen fidelis manet; negare se ipsum non potest. Quot & quanta nobis tanquam infirmioribus vasculis condonet, quis non quotidie cernat & sentiat? Facit igitur Christus semper officium boni & optimi mariti.

VI. Cæterum de officiis Ecclesiæ erga Christum, quænam illa sint, & an ea faciat: vt hoc rectè intelligatur, priori loco distinguenda est Ecclesia, quæ est sponsa Christi, ab adultera. Apostolus enim de priori tantum loquitur, non de altera, quia ait, eam esse subiectam Christo.

VII. A nomine igitur Ecclesiæ excludimus reprobos omnes & hypocritas, qui sunt quidem in Ecclesia, sed de Ecclesia non sunt: qualiter & feces in corpore humano sunt, sed non sunt de corpore.

VIII. Vera itaque Ecclesia sponsa Christi,

sti, est duntaxat cœtus electorum, in quo tamen hypocritæ etiam multi reperiuntur.

ix. Deinde hic cœtus distinguendus est in eos, qui sunt in cœlo, & in eos qui sunt in terra: quorum illi, vocari solent Ecclesia triumphans; isti, Ecclesia militans: Et illi sunt frumentum purum, ab omnibus paleis repurgatum, isti autem frumentum sunt, cum multis paleis mixtum.

x. Nomine autem palearum, intelligo non solum hypocritas, qui inter electos mixti sunt, sed etiam reliquias peccatorum, à quibus nemo in hac carne viuens, prorsus liberatus & repurgatus est.

xi. Tertio igitur loco Ecclesia electorum in terris degens, distinguenda est in carnem, & in Spiritum. Nam quisq; fidelis constat carne, & Spiritu.

Hæc est distinctio sponsæ in suas partes. Est quidem vna tantum, & vnum corpus; sed variis constat partibus & membris.

xii. Quæ itaque in cœlo est pars, ea certè omnia facit officia, quæ ibi fieri possunt & debent. Est enim verè & perfectè Christo capiti & spõso subiecta, ac proinde sunt ibi verè & perfectè duo in vnam carnem, in summa pace & perfectissimo amore viuentes. ô felices nuptias!

xiii. Obsecro autem, vt hîc etiam ob-

seruetur, quæ sit illa doctrina, qua nonnulli dicunt carnem Christi inuisibilem esse, & ubique præsentem. Ecclesia ac sponsa Christi, quæ certè vna tantùm est, ea parte qua in terris est, eidem sponso Christo, eidemque corpori sponsi subiecta est, eoque fruitur; cui etiã, ea parte qua in cœlis, subiecta est, & quo fruitur etiam in cœlo. Est enim vnus tantùm sponsus, & vna eius caro, sicut etiam Ecclesia vna.

Atqui Ecclesia, quatenus in cœlo est, Christũ habet, quo ad eius carnem & corpus, finitum, visibilem, circumscriptum: & tali Christo, taliq; corpori Christi subiecta est, & ideo etiam tali fruitur, & non alio: id quod etiam aduersarii concedunt, qui aiũt, corpus Christi in cœlo esse circũscriptiuè, seu Christũ in cœlo esse corpore visibili, & circumscripto, eiusdem symmetriæ, cuius & nostra sunt corpora.

Adde, quòd cùm innumerabiles sint spiritus beatorum, eodem tamen & vnico corpore Christi fruuntur, & quidem singuli toto. Ergo eadem Ecclesia, qua parte in terris est, eidem corpori Christi visibili & circumscripto subiecta est, eodemque fruitur, & non alio.

XIV. Certè negare non possunt, quin Ecclesia in terris fruatur per fidem corpore

re Christi circumscripto. Hoc autem nobis ad salutem in hoc mundo sufficere, nemo est qui nesciat.

xv. Diximus, Ecclesiam, quatenus in cælo est, omnia quæ fieri possunt officia, perfectissimè ibi præstare. Sed quatenus in terris est, quomodo se gerit?

xvi. Apostolus de hac re quoq; ait, eam subiectâ esse Christo: intellige, quo ad Spiritum; sed quo ad carnem, sæpe discedit à subiectione & obedientia. *Rom. 7.* Mente quidem seruo Legi Dei (dicebat Apostolus) carne autem legi peccati.

xvii. Verùm quia præcipua sui parte subiecta manet, & quòd reluctetur secundum carnem, illud sponfus condonat vxori, tanquam infirmiori vasculo, vt Petrus de omni bono marito erga vxorẽ suã loquitur: ideo verè tota dicitur esse subiecta, licet imperfectè, perfectissimè in cælo subiicienda.

xviii. Ac proinde concludimus, connubium hoc, de quo Apostolus loquitur, perpetuum esse, nunquam dissoluendum.

xix. Non. n. dissolui potest matrimoniũ, nisi propter fornicationẽ, seu propter adulterium. Ecclesia autem hæc nõ fornicatur spiritu, & dat etiã operam, vt ne carne quidem fornicetur: dicit enim cum Apostolis, Ad quem ibimus? verba æternę vitę habes, ô Domine Iesu.

xx. Deficit tamen sæpenumero, secundum carnem; sicut & Petrus cum Christum negavit: sed quia non defecit fides in corde, ideo excitata in eo resipiscentia, veniam consecutus est à Christo sponso suo: cuius officium est diligere sponsam suam, eamq; sanctificare, mundando eam ab omni labe peccati.

xxi. Cæterum, quò clariùs nos, qui adhuc versamur in carne, intelligamus, quid sit nostri officii erga sponsum nostrum, & illud facere studeamus: notandum est, nomine subiectionis hæc præcipua officia significari.

xxii. Si uxoris officium est, curare, ut sit subiecta viro suo, sicut & corpus capiti: primum igitur, fidem debemus sponso, qua credamus verè, Christum nostrum esse sponsum, & nos ab ipso amari, ac quicquid promisit, illud præstiturum. Nemo enim libenter manet subiectus ei, cui diffidit, & à quo non credit se amari.

xxiii. Deinde, debemus dilectionem, summa cum reuerentia coniunctam. Non enim ferre potest subiectionem, qui non amat. Qui autem amat, is non grauat subiecti ei quem amat & reueretur.

xxiv. Tertio, debemus fidem conjugalem, qua scilicet sponsa obstrinxit se vnico suo

suo marito. Hoc enim in primis significatur nomine subiectionis. Non enim se subiicit alteri, quàm suo marito.

xxv. Sequitur autem hoc officium ex primo & secundo: Mulier enim, quæ & persuasa est se amari à marito, & quæ vicissim amat & obseruat maritum, ea facile serua-bit fidem datam, & subiecta manebit.

xxvi. Quarto: debemus in omnibus, quæ sponsus mandat, obedientiam: audire eius vocem, eamque seruare. Nam hoc quoque postulat vera subiectio.

xxvii. Hoc explicat Petrus i. Pet. 3. Pri-mum ait, Mulieres subditæ sint viris suis, &c. Deinde paulò post exemplo Saræ, ex-plicat, in quo potissimum consistat hæc subiectio, nempe in obedientia & reueren-tia erga maritum, dicendo: Sicut Sara obe-diuit Abrahæ, dominum eum vocans, &c.

xxviii. Hinc sequitur humilitas ani-mi, quæ bona vxor non responsat viro, nec in illum cupit dominari, aut illi imperare: sed potius sinit se ab eo regi, & sibi impera-ri: & imperata libenter exequitur.

xxix. Hoc etiam includit in se vera sub-iectio. Itaque Apostolus hoc explicans in i. ad Tim. 2. ait, Mulier cum silentio discat, in omni subiectione: Mulieri enim docere non permitto, neque autoritatem vsur-

pare in viros, sed esse in silentio.

xxx. Hinc sequitur sextum, nempe perpetua pœnitentia. Ut, si quid per infirmitatem, aut ex ignorantia peccamus, statim cum summa animi demissione, recurramus ad sponsum nostrum, & deprece- mur culpam. Hoc enim requirit vera sub- iectio, & ex vera fide atque dilectione, & ex animo spirituque humili proficiscitur.

xxx i. Si hæc diligenter præstare studerimus, sanctum hoc connubium nostra quoque ex parte coonestabimus, & ut per- petuum sit, efficiemus, quamque suaue sit esse cum Christo, re ipsa experiemur.

xxx ii. Adde & hoc ad extremum, offi- cium nostrum esse, ut semen verbi Dei, do- naque Spiritus sancti, ne sinamus in nobis otiari: sed curemus, pro sua quisque virili, ut quotidie novi Christo filii generentur, per verbum & spiritum.

CONSEQUENTIA CONNU-
bium spirituale.

T H E S I S I.

Bona spiri-
tuale con-
nubium cõ-
sequentia.

Q Vis verò in gentia bona, veras volupta-
tes diuinasque felicitates, quæ spiritua-
le hoc coniugium consequuntur, aut men-
te concipere, aut verbis explicare queat?

ii. Sunt

II. Sunt enim ea & permulta, propeque infinita, & reuera maxima atque amplissima.

III. Nam sponsus Christus rerum omnium, quæ in cælo & in terra sunt, autor & dominus est.

IV. Quæcunque autem sunt sponsi, ea omnia iure coniugii, communia fiunt sponsæ, atque in primis domus, cum tota supellectile & seruitute, mensa & lectus: eos enim simul cohabitare, & vitam traducere, somno & quieti ita operam dare oportet, ut sine his perfectum coniugium esse non possit.

V. Si enim iuxta prouerbum, πάντα τὰ τῶν φίλων κοινὰ (usu nimirum, salua cuiusque proprietate) quanto magis coniugatorum: quando ipsorum quoque corpora ita sunt communia, ut non amplius duo, sed vnum corpus, vnaque caro & sint, & verè esse dicantur?

VI. Sunt autem omnia sponsi bona duum generum: alia ad vitam futuri seculi, alia ad præsentis spectantia.

VII. Rursus, quæ sunt præsentis seculi, alia ad spiritualem, alia ad corporalem seu ad humanam vitam pertinent.

VIII. Quæ ad corporalem pertinent; ea sunt, cæli, elementa, omnia ex elemen-

Bona ad corporalem vitam pertinentia.



tis composita, & quæ ex iis colligi confici-
que possunt.

ix. Ut verò prius de hoc altero secundi
generis bonorum ordine dicam, omnia
multis sanè modis nostra sunt, & verè no-
stra esse dicuntur.

x. Primùm quidem, quia ius & domini-
um, quod Adamo ante peccatum in reli-
quas creaturas datum fuerat: illud nobis,
qui facti sumus vna caro cum Christo, in i-
pso Christo sponso, & capite nostro, resti-
tutum est. Data est mihi, inquit, omnis po-
testas in cælo & in terra.

xi. Deinde, quia in eodem Christo non
solùm ius in hæc omnia, verùm etiam per-
fectam & plenam rerum omnium posses-
sionem habemus.

xii. Christus enim sedet ad dextram Pa-
tris; nos autem, inquit Apostolus, confede-
re fecit cum illo in cælestibus. Ergo si spon-
sus huius inferioris quoque mundi domi-
nus est; ipsa etiam sponsa, eiusdem domina
fit necesse est.

xiii. Item quia ad nostras (vt ita loquar)
singulorum personas quod attinet, licet hæc
omnia simul bona actu & re ipsa non sem-
per singula possideamus, ius tamen, cum o-
pus fuerit possidendi, habemus: ita vt qui-
buscunq; rebus vtimur, fruimur, illis sem-
per

Eph. 2.

per bona conscientia, tanquam reuera nostris utamur, fruamur, & uti ac frui possimus: quod de impiis diuitibus ac potentissimis etiam principibus verè dici non potest. Et huc spectat illud Apostoli, *Omnia Tit. 1. munda mundis: infidelibus autem nihil est mundum, sed inquinata est illorum mens & conscientia.*

xiv. Nam quòd non omnibus simul & semper actu fruamur, hoc ideo fit, quia non opus esse nobis neque expedire optimè nouit sapientissimus noster sponsus Dominus Iesus; qui suam carnem neque odit, neque negligit, sed nutrit & fouet eam.

xv. Adde, quia non solùm ius bona hæc possidendi in hoc seculo habemus, verùm etiam quia re ipsa possidemus cùm volumus. Volumus autem, si verè sumus sponsæ Christi, à nobis possideri, quæcunque vult dilectissimus sponsus, & præterea nihil.

xvi. Nouimus verò, sponsum ea tantummodò possideri à nobis velle, quæ ipse nobis possidenda præbet; ea autem præbere cognoscitur, quæ nobis sine dolo, sine malis artibus obueniunt.

xvii. Quis autem diues, potens, beatus, veriùs esse dici potest, quàm qui quod vult potest, & habet quod vult, suaque sorte contentus est? Huc spectat illud quod dixit A-

postolus: *Est autem questus magnus, pietas cum animo sua sorte contento.*

XVIII. Denique quoniam ut res huius mundi immediatè in nobis ipsis non possideamus: possidemus tamen in aliis, quatenus omnia nobis ex imperio spōsi, ad vitam & salutem nostram promouendā seruiunt.

XIX. Quò illud Apostoli non incongruè accommodari potest, *Omnia vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei.* Omnia enim ad vitam salutemq; nostram non solùm spiritualem & æternā, verùm etiam huius presentis seculi (prout cuiq; statutū est viuere) destinata sũnt. An non verò hæc omnia in carnali connubio cōtemplari licet: vbi præsertim humilis sponsa & sui mariti obseruantissima est, & vicissim à præpotenti marito diligitur? Ac de his bonis satis.

De iis porrò bonis, quæ ad spiritualem vitam pertinent, horum communicatio ita se habet.

I.

Bona ad spiritualem vitam pertinentia in hoc seculo.

IN vno Christo mediatore, atque ad eò in ipsius carne, collocauit atque firmavit omnia bona Deus, ita vt nisi è Christo tanquam ex fonte communicentur, eorum particeps fieri nemo possit.

ii. Huc

II. Huc spectant omnes ferme scripturae, quae in solo Christo quaerendam esse salutem praedicant. I. Iohannis 5. *Vitam nobis dedit Deus, & haec vita in filio eius est.* Nomine autem *vita* totam salutem nostram complexus est. Coloss. 1. *In ipso (scilicet Christo) complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Item Iohan. 1. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: & alia huius generis infinita; quibus euincitur, in vno filio Dei, homine facto, inesse omnes caelestium diuinorumque bonorum thesauros; quemadmodum disertis verbis Apostolus ad Coloss. scriptum reliquit.* Coloss. 2. 3.

III. Isti thesauro illis duntaxat verè communicantur, qui ita CHRISTO vniti sunt, vt facti sint cum eo vnum corpus, & vna caro.

IV. Apostolus enim ait, Christum esse Eph 5. eum qui salutem dat corpori, nempe toti Ecclesiae, quae est eius corpus & caro; & singulis fidelibus. qui itidem cum Christo sunt vna caro, & ossa ex ossibus eius.

V. Vnio autem haec & incorporatio non nisi per ipsius Spiritum, & nostram fidem fieri potest; quemadmodum passim scripturae docent.

VI. Ad totam igitur Ecclesiam, veram Christi sponsam, eamque solam, & ad singu-

los, qui in ipsa sunt fideles, Christiꝫ; spiritu donatos, verè hæc thesaurorum Christi communicatio pertinet.

Ratio communicandi duplex.

VII. Communicatio autem hæc bifariam fit, nempe per imputationem, & per realem communicationem.

VIII. Cùm enim Christus sponsus propter coniugium totus cum omnibus suis thesauris noster sit; thesauri autem ipsi infiniti cùm sint atque amplissimi, realiter in nobis ipsis contineri non possint: per imputationem nobis communicentur nostrique fiant necesse est.

IX. Istæ porro duæ communicandi tum alia bona, tum imprimis iustitiam Christi, rationes, ita inter se coniunctæ sunt, tanquam causa & effectum: vt ab inuicem nõ separentur, nec separari à nobis debeant, quemadmodum neque radius à sole, neq; sol à radio, seiungi reuera potest.

X. Cuicumque enim perfecta Christi iustitia imputatur: hunc iustitia quoq; quam inhærentem vocant, reapse donari, è sacris literis didicimus.

XI. *Quò illud Dauidis spectat, Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in Spiritu eius dolus.*

XII. Postrema enim particula inhærentem

tem

tem iustitiam significauit; prioribus autem imputatam; vtramque verò simul coniunxit, ne alteram ab altera separari posse existimemus.

XIII. Nam in matrimoniali quoque negotio idem vsu venire solet. Cuicumque enim contingit, vt alicuius regis fiat sponsa & vxor, huic etiam sponsalia & regia ornamenta gestanda exhiberi solent, quibus & ab aliis mulieribus discerni, & talis regis vxor esse luculenter cognosci queat.

XIV. Non enim quia regis ornata est vestimentis pretiosisque lapillis, ideo vxor regis est: sed quia vxor regis est, ideo insignibus regis ornata & prædita est: quibus cuiusnam sit vxor, luculenter omnibus appareat.

XV. Hinc sequitur, vt, quisnam verè coram Deo iustus reputetur, necne, non nisi ab inhaerente iustitia, verisque illius fructibus verè iudicari, certoque pronunciari queat.

XVI. De imputatione cum primis locus est ad Rom. 5. insignis, *Sicut per inobedientiam vnus hominis* (omnibus, qui ex Adamo per naturalem generationem nascuntur, imputatam) *peccatores constituti sunt multi: ita per vnus* (scilicet hominis Christi) *obedientiam* (omnibus qui ex Christi Spiritu *à vobis* re-

Bonorum
communi-
catio, per
imputatio-
nem.

generantur, imputatam) *iusti constituentur multi*, nempe omnes electi.

XVII. *Per obedientiam vnus*, inquit Apostolus, intellige totam. Duę autem sunt perfectę Christi obediętię partes: vna, qua obediens fuit in tota illa Lege perfectissimę, non tam pro se priuatim, quàm pro nobis omnibus communiter, seruanda, cui æterna vita promissa fuerat: altera, qua obediens pariter fuit in morte pro peccatis nostris, quibus æterna mors debebatur, expiandis subeunda. Per vtramque enim huius obediętię partem, nos coram Deo iustificari, atque in æternum seruari, intellexit Apostolus.

XVIII. Obedientiam in morte, consecuta est remissio peccatorum nostrorũ, & ex consequenti perfecta à morte æterna liberatio: obedientiam verò in Lege implenda, perfecta itidem eterne vitę possessio. Vtraque enim obediętię pars, quę à Christo realiter præstita est, nobis per imputationem communicatur, vereq; nostra iure coniugii fit: quando Christus totus, quantum quantum est, nobiscum factus est vna caro, & nos vicissim cum illo.

XIX. Eiusdem imputationis respectu, scripturę Apostolicę passim prædicant, nos (tanquam membra) vnà cum CHRISTO (tan-

(tanquam cum capite) iam crucifixos esse, mortuos esse, sepultos esse, à mortuis excitatos esse, in cœlum ascendisse, in supercœlestibus cum illo considerare, omni denique in eodem Christo benedictione spirituali, ut Apostolus loquitur, benedictos esse: nimirum non solum propter spem, verum etiam quod tales iam in cœlo apud Deum esse, in Christo capite reputemur.

xx. Eodem spectat illud Apostoli, *Christum factum esse nobis sapiētiam, iustitiam, sanctificationem, redemptionem*, idque consentaneè cum illo Ieremiæ, *Iehouam*, nempe Christum, *nostram esse iustitiam*. 1 Cor. I.

xxi. Ad extremum, scripturæ duo præter alia nos per fidem in Christum consequi manifestissimè docent; vnum, ut nostra peccata, nostræque omnes iniustitiæ, nobis non imputentur, eoque reatu æternæ mortis liberemur: alterum, ut contra iustitia CHRISTI nobis imputetur, hoc est, ut propter iustitiam Christi fide apprehensam nostramque imputatione factam, iusti coram Deo reputemur, eoque æterna vita digni censeamur.

xxii. Eodem pertinet verbum *imputandi*, quo sæpè Paulus utitur, cum agit de iustificatione, dicens, iis qui in CHRISTVM Rom. 4. v. 5.
credunt, peccata non imputari, sed illorum 6. 7. 2. 8. 9.

potiùs fidem imputari ad iustitiam.

XXIII. Quid verò nomine fidei intellexit Apostolus? Non certè ipsam fidei nostrę actionem per sese; est enim & ipsa opus nostrum. operibus autem nostris negat nos iustificari; sed ipsam rem quam fides apprehendit, hoc est, ipsam Christi iustitiam, seu Christum ipsum, intellexit Apostolus, qui nostra est iustitia, vt etiam antè Ieremias prædicauerat, *Iehoua iustitia nostra.*

XXIV. Duo itaque ad iustificationem vitę necessariò concurrunt, nempe condonatio iniustitię nostrę, seu remissio peccatorum nostrorum: & imputatio iustitię alienę, hoc est Christi, per fidem apprehensi. Remissio quidem peccatorum nostrorum, nempe ne æternę mortis rei inueniamur: imputatio verò iustitię Christi, vt æterna vita digni censerì possimus.

XXV. His enim rebus, remissione nimirum peccatorum, eoq; liberatione à morte æterna, & perfectissimę iustitię (quę solius Christi est) gratuita imputatione, eoq; æternę vitę adiudicatione, constat vera Christiana que iustificatio, quę ab Apostolo iustificatio vitę appellatur. Nota nomen *vite*; quia non solùm à morte liberamur, sed ad vitam etiam iustificamur.

XXVI. Hinc liquet, imputandi verbo in
sa-

sacris literis utramque perfectæ iustificationis partē *σωτηριολογικῶς* significari: quòd vna sine altera consistere non possit, nimirum neque remissio peccatorum nostrorum, sine imputatione iustitiæ Christi; neque imputatio iustitiæ, sine gratuita remissione peccatorum; ut & absolutio à reatu æternæ mortis, & rursus assertio in hæreditatem vitæ æternæ, simul haberi queant.

Atque hæc de priori modo, quo omnes Christi thesauri atque imprimis ipsius iustitia nobis communicatur, nempe per imputationem, satis.

I.

DE posteriori autem modo, nempe per Bonorum communicationem realis. realem communicationem, propè infinita extant in scripturis testimonia, ut longa probatione nō sit opus, quale est illud apud Iohan. *Spiritum dedit ei non ad mensuram: de plenitudine autem eius nos omnes accepimus.* Item, *Qui facit iustitiam, iustus est*, de inhærente enim iustitia loquitur Ioannes. Quò & illud, *Qui iustus est, iustificetur adhuc*: recipit enim hæc iustitia incrementum. Item illud ad Philipp. *Precor ut charitas vestra adhuc magis abundet, & ut pergatis pleni fructibus iustitiæ.*

II. Hanc enim inhærentem iustitiam

idcirco nobis communicat sponsus noster Christus, vt perpetuò iustos fructus nobis & proximis proferat.

III. His accedit aliud inæstimabile donum. Efficit enim Dominus Iesus sua erga nos gratia, vt quæcunque ex hac inhærente iustitia agimus, ea, licet imperfecta sint, opera, & carnis nostræ sordibus contaminata, Deo tamen grata sint atque accepta, maculis nostris omnibus pallio ipsius misericordiæ & iustitiæ Christi contectis, iuxta illud, *Beati, quorum tecta sunt peccata: Et, Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum.*

IV. Imò & multis & magnis opera ista sponsæ imperfecta, donis remunerare dignatur, iuxta illud Apostoli, *Pietas promissiones habet presentis vitæ pariter & futuræ.*

V. Quod verò in carne nostra ex Adamo innatum naturæ vitium seu inhabitans peccatum, ad finem vsque vitæ remanet, idque pro singulati sponsi nostri providentia, ad nostri humiliationem, & ad perpetuam pugnam, fideique exercitium: illud non solum non imputat ad condemnationem, verùm etiam vi sui Spiritus nobis communicati, indies paulatim minuit, ener-

eneruat, infirmat, tollit, donec tandem penitus extinguat.

VI. Huc spectat quod Apostolus ait, Christum suam Ecclesiam mundare & sanctificare, donec tandem sistat eam gloriosam in conspectu Dei, nullam habentem maculam aut rugam. Eph. 5.

VII. Nec solum hoc facit pro sua gratia Christus, verum etiam nos ipsos sancto perpetuoque; huiusce rei quamprimum complendae afficit desiderio, ut ad eum tandem perducamur statum, in quo peccare non possumus amplius. Atque huc spectat illud Apostoli: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et illud ad Philipp. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Et illa vox sponsae ad sponsum, *Veni Domine Iesu, veni.* Et denique quod nos in Dominica oratione quotidie precamur, dicentes, *Adueniat regnum tuum.* Rom. 7.
Philipp. 1.
Apocal. vii.
Matth. 6.
Item, *Libera nos a malo.*

VIII. Quid autem haec sibi volunt, nisi quod Ecclesia & singuli fideles donantur a Christo dono perseverantiae, in fide & amore Christi? Quod & illud Apostoli, *Quis me separabit a charitate Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro?* Rom. 8.

Atque haec de bonis, quae ex thesauris CHRISTI ad spiritualem vereque felicem vitam in hoc seculo traducendam, re-

ap̄ se nobis cōmunicantur, satis. Quæ quàm magna, quàm multa, quàm pretiosa sint, quis queat explicare?.

I.

Varia Spiritus Christi
χαρίσματα.

SVnt & alia dona Spiritus sancti per multa in humana Christi natura, non ad mensuram collocata, quæ non ita ad cuiusque fidelis salutem promouendam necessaria sunt: veluti donum Prophetiæ, linguarum, edendorum miraculorum, sanationum, & alia, de quibus in sacris literis abundè.

II. Hæc etiam Ecclesiæ sponsæ à Christo sponso non denegantur: sed ea ideo non omnibus singulisve fidelibus, neque semper, neq; æqualiter, sed tantummodò quibus vult, quando vult, & quantum vult, communicantur; quia aliter non expedit. De varietate donorū loquitur Apostolus I. Cor. 12. *Vnicuiq; datur declaratio Spiritus ad utilitatem, &c. Hæc efficit vnus ille & idem Spiritus, distribuens priuatim singulis sicut vult.*

III. Nam in coniugio quoque carnali neque expedit, neque etiam æquum est, vt simpliciter quæcunque sponsus habet recondita, ea omnia realiter semper communicet vxori; sed ea duntaxat, quæ ad ipsius salu-

salutem, honorem & consolationem necessaria sunt: Satis verò debet esse sponsæ, quòd sciat ea etiam omnia sibi communicatum iri, cùm fuerit necesse. Hoc enim perinde est, atque si reapse semper illa possideat.

IV. Qualis verò, obsecro, & quantus est bonorum, ad vitam huius præsentis seculi, non solùm humanam, verùm etiam spiritualem & Christianam, pertinentium, thesaurus, quæ à Christo non solùm imputatione, verùm etiã reali dispensatione communicantur? Quid, quòd omnia etiam mala, quæ in hoc seculo nobis contingunt, ea in maius tandem bonum conuertit, teste Apostolo, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum?* Rom. 8.

Exemplo nobis sunt (vt de aliis taceamus) Iosephus & Christus. Ille, quot, quales, quantasque iniurias tum à suis, tum ab alienis perpeffus est, idque propter pietatem, & quia singulariter Deo charus esse agnoscebatur? Irrisus fuit propter diuina somnia, in cisternam coniectus, peregrinis venditus, in Ægyptum ductus, in carcerem inclusus; sed quid ad extremum? Omnia hæc ad summam ipsius dignitatem ac gloriam singulari Dei beneficio cesserunt. Hic verò de se ipso dixit, *Oportuit Christum pati,*

& ita intrare in gloriam suam. Et (vt Paulus scribit) humiliavit semetipsum , factus obediens vsq₃ ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum , & donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. Denique, vt tota Ecclesia canit, passus, mortuus & sepultus est: & resurrexit, ascendit in cœlum , sedet ad dextram Patris, &c.

v. Imò in ipsis etiam perferendis calamitatibus, persecutionibus, cruciatibus, morte denique ipsa, vi sui Spiritus semper nobis adest, fortes reddit, magnis & mirificis consolationibus afficit: ita vt non solum non sinat nos illis succumbere, verum etiam vt in pugna superiores effecti victoriam ad extremum reportemus.

vi. Quò illud 2. Cor. 4. *In omnibus premimur, at non coarctamur: hesitamus, at non prorsus haeremus: persecutionem patimur, sed non in ea deserimur, ac non perimus. Item I. Cor. 10. Fidelis Deus, non sinet vos tentari supra id quod potestis perferre; sed faciet cum tentatione exitum, nempe felicem. Item Rom. 5. Non solum autem hoc, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, &c. Item Act. 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quòd digni habiti sint, pro nomine Iesu contumeliam pati.*

vii. Iis

VII. Iis enim malis omnibus carni nostræ aduersis, tanquam optimis medicamentis purgantibus omnes peccati reliquias, quæ in finem vsque mundi in nobis remanent, quotidie magis ac magis mortificat & purgat.

VIII. Denique, si calamitates nobis propter nostra peccata infliguntur, hoc fit ad nostri correctionem, ne cum hoc mundo damnemur, vt ad Cor. docet Apostolus. 1. Cor. II. Hoc autem singulare est sponsi erga nos beneficium. Si verò propter Christum, & propter sanctum cum illo connubium: sponsa ipsi conformamur, & eius insignia gestamus. Quæ verò sponsa, sui sponsi principis aut regis insignia non libenter gestet, quando hoc maximè ad suam dignitatem & gloriam facit?

I ij

I.

Bona futuri
seculi.

Quid verò de bonis, ad æternam alterius
seculi, beatamque vitam pertinenti-
bus, dicam? Profectò vt eadem regia sponsi
cum tota supellectile, ornatu, splendore,
cum tota denique aula & famulatu com-
munis sit sponsæ, omnino necesse est. Hanc
enim esse voluntatem sponsi, sponsus ipse
testificatus est, dicendo, *Volo vt vbi ego sum,
ibi sint & ipsi*, illi nimirum fideles, ex quibus
constat Ecclesia, sponsa Christi. Item, *Ite-
rum veniam ad vos, & recipiam vos ad me. Item,
Vado paratum vobis locum,*

Ioh. 17.

Iohan. 14.

I. Cor. 2.

II. Quæ verò & qualia & quanta ibi sint
bona nobis præparata, Apostolus dicit ex-
plicari nullo modo posse; *Oculus non vidit, nec
auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ
Deus præparauit diligentibus se.* Nouimus au-
tè certò, nos qui vna caro facti sumus cum
Christo, illa visuros, & vi istius sancti con-
iugii in æternum possessuros, iuxta illud
CH R I S T I, *Venite benedicti Patris mei; posside-
te regnum, quod vobis paratum est à constitutione
mundi.*

Matth. 25.

Iob. 19.

Quare quisque nostrum cum S. Iobo ex
vera videlicet fide dicat, *Scio quòd redemptor
meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus
sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem me-*
um,

CHRISTI ET ECCLESIAE. 133

um, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est haec spes mea in sinu meo. Et cum tota Ecclesia Christi sponsa, ad sponsum suspirantes & anhelantes toto pectore clamemus, *Veni Domine Iesu, veni,* & pro tuo immenso erga nos amore Apocal. vlt.


recipe nos in caelestem domum


Patris tui. Cui sit honos,


laus & gloria;

Amen.

F I N I S.







Assumptio Christi appellatur in lacuna. l. 17.
Localitas corporis Christi p. 22. 23.
Una natura non recipi nisi se contum. qd d
de v. h. Vigil. pag. 27.
Numerus dicitur deus in al. l. 33.
Cognos extra curiam in qd d. l. 36.
Humilitas in infirmitate necessaria. 109.
Supplicium. l. 145.
Proprietas corporis glorificationis. 153.

ca. 10
di



79 177 674

44 18
K, 1

Peter. p.
Kunze
1774

X 220 1700

Sb.





ur.
vo-
nni
di-
ngs
tis.
su
be-

lis
n-
m
io
n-
lo
s
à
-
s
-

Excude

HOR

ET E

LI IN

DE

